MERCURII GALLOBELGICI
SUCCENTURIATI
Sive,

RERVM IN GALLIA ET BELGIO POTISSIMUM : HISPANIA QUOQUE, ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, Vngaria, Transylvania, vicinisq; locis, à nundinis Francofordiensibus Anni 1603. autumnalibus usq; ad Anni 1604 vernales potissimum gestarum,

HISTORICÆ NARRATIONIS
continuatæ,

TOMI QUINTI LIBER SECUNDUS,
Vere & fideliter conscriptus à
M. GOTARDO ARTHUS DANTISCANO.

FRANCOFURTI,
Sumptibus SIGISMUNDI LATOMI, Anno 1604.

ILLVSTRI ET GENEROSO COMITI ET DOMINO, DN. EMICHIO A DVNA, COMITI FALCKENsteinio, Domino in Oberstein & Bruch, &c. Domino suo benignissimo. S.

DE Historiis Generosiss. Comes, Dn. clementissime, gravissime Polybius, earum cognitionem dicit, verissimam esse institutionem & præparationem ad actiones publicas, & illustrem magistram ad perferendas fortunæ vicissitudines. Homini enim in publica administratione constituto, nihil utilius est, quam cognoscere qua religione, quibus moribus, qua regiminis forma, quibus legibus institutisq; aliæ per orbem gentes vitam traducant, quod quidem cum peregrinationibus vulgo acceptum feratur, accidit plerunq;, ut qui extra patrios agros ad secundum vix lapidem unquam pervenerunt, quamvis naturæ suæ bonitate opulenti, facundi & solertes satis superque, in patriæ sinu populos & urbes moderentur, parum tamen eorum dictaq; & facta authoritatis habe-

ant, cum ex adverſo aliis, qui peregre aliquando profecti, ſub fidelibus & eruditis præceptoribus, in claris probeque inſtitutis Rebusp. egregia multa viderunt didicerunt-que, tantum gloriæ & maieſtatis adiuciatur, ut nihil ab eis fiat aut dicatur, quod non omnes amplectantur, approbent atque mirentur.

At verò ſi peregrinando, quæ ad publicas actiones neceſſaria ſunt, diſcere omnia neceſſe ſit, quotus quisq; vere prudentis viri nomen merebitur, cum propter vitæ huius brevitatem & inconſtantiam, loca varia permeare & in illis q̃ ſcitu neceſſaria ſunt, perſcrutari atq; inquirere omnia liceat neminiq; Scipionis Africani tantam fuiſſe prudentiam & autoritatem, literis & memoriæ proditum accepimus, ut non modo bellum ingens in Hiſpania ex eius admiratione, quæ aliorum Imperatorum contemptum pepererat, ortum eſſe Livius ſcribat, ſed etiã latronibus ipſis ſanctus & inviolatus extiterit. Cum enim piratæ ad eius ædes ruſticas humilesq; adiiſſent, cosq; ab aditu, quaſi Scipionem vim illaturos, ſervi ſtrenue propulſarent, illi ſupplices à ſervis petierunt, ut ſibi divinum

num illum hominem contueri ſalutem ac venerari liceret, quod Scipio ipſis, re intellecta, permiſit, vt latronum ita barbariem ad humanitatem revocaret.

Fructus hic verae gloriae fuit inſignis admodum, At enim hiſtoriae ad iuſtiſſimi & fortiſſimi Regis ideam expreſſae, cognitio ipſi attulit, Xenophontis enim de inſtitutione Cyri libellum animo penitus comprehenſum habens, omnes omnium virtutum ac laudum cumulos inde collegerat. Hiſtoriae enim hoc commodi habent, ut domi noſtrae tranquille ſedentes terras urbesq; longe diſſitas, & loca prorſus incognita perluſtrare, atq; inde quae omnino ſint expetenda, quae fugienda, quid turpe, quid honeſtum, quae optimae leges, quae optima Reſpublica, quae beata vita, &c. ſit, variis exemplis cognoſcere queamus. In gubernatione quantum referat exempla conſiliorum ob oculos habere, demonſtratione nulla indiget, cum prudentiſſimi quiq; ad ea ſemper reſpexerint. Laudatur Senatus Romanus, quod interfecto Caeſare, ad Ciceronis monitionem, ἀμνηϛίαν ſeu ut ipſe in 1. Philipp. inquit, diſcordiarũ ſempiterna obliuione deletionem ſanxerit, ſed

in eo tamen Athenienſium exemplum, apud quos Thraſybulus idem olim fecerat, propoſitum ſibi habuit. Ad cavendas autem cauſas horribilium mutationum & calamitatum, hiſtoriæ non parum proſunt, recitando omnium temporum exempla de pœnis blaſphemiarum, periuriorum, tyrannicæ crudelitatis, ſeditionum, flagitioſarum libidinum, rapinarum, & id genus aliorum turpiſſimorum ſcelerum, quæ plerung, atrocibus pœnis etiam in hac vita ſunt punita. Hinc enim commonefactiones deſumi utiliter poſſunt, de vitæ tam privatæ quã publicæ officiis recte inſtituendis, ut mala iſta vitentur, qua tandé vera prudentia eſt, iuxta illud Poetæ:

Exemplo alterius qui ſapit, ille ſapit.

Propter has igitur & alias utilitates quas ex hiſtoriarum lectione ad homines omnes redundare certiſſimum eſt, omnibus ætatibus eas non legerunt ſaltem, ſed & quam diligentiſſime docti & prudentes viri conſignarunt, & ego etiam, quorundam hortatu, ad hanc ſcriptionem adductus ſum, quam ſi non omnibus, aliquibus tamen gratam fore confido, quod ætas hæc noſtra non minus quã

ſupe-

superiora ſecula, res notatu dignas & mirabiles quotidie ſuppeditet, quæ poſteris inprimis utiles & neceſſariæ eſſe poſſunt, ut inde vitam ornare & componere diſcant & quod vitent, quodq; imitentur habeant.

Cum igitur ſuperioribus tomis, quibus hiſtoria aliquot præcedentium annorum deſcripta extat, continuationem adiiciẽs, duobus libris res eas potiſſimum complexus eſſem, quæ hoc anno paſſim in Europa acciderũt, & vero ad celeberrimum hunc morem, quo omnes, qui unquam à ſe ſcriptos libros in lucem dederunt, unum aut plures é præſtantioribus eligere ſolent, quibus velut defenſoribus & patronis illos adſcribant dedicentque, me collaturus, huc atque illuc multum diuq; circumſpicerem, cui haſce meas lucubrationes offerrem, generoſiſſima V. C. digniorem invenire non potui, quod non hiſtoriarum tantum lectione delectari eam, ſed & artibus & diſciplinis humanioribus aliis, quibus excolendis omne meum ſtudium & laborem iam pridem dicavi, favere optime, & veræ pietati virtutibusque omnibus ſtudere, cognitum atq; perſpectum haberem

atq; inde adeo futurum, ut historia hac mea á generosissimo C.V. quod sibi præscripsit, nomine, trahat aliquid, unde acceptior in manus hominum perveniat, omnino mihi persuaderem. Humilima igitur mente generosissimæ V. C. hoc quicquid est libelli tam offero, eamq; ut munusculum hoc chartaceum serenissimo vultu accipiat, & meum hunc communi utilitati inserviendi conatum, gratum sibi habeat. qua decet animi submissione oro atq; obtestor, à Deo ter Opt. Max. precatus, ut generosissimæ V. C. perpetuum & felicem rerum omnium successum largiatur, eamq; quam diutissime florentem & valentem cum vniuersa familia conservet Francofurti ad Mœnum 24. Mart. Aõ. 1604.

Generosissimæ V.C.
subiectissimus.

M. Gothardus Arthus Dantiscanus.

MERCVRII GALLOBELGICI SVCCENTVRIATI,

Tomi V. Liber II.

EA CONTINENS, QVÆ PER æstatem & præcipue á nundinis Francofurtensibus Anni 1603. autumnalibus usque ad Anni 1604. vernales memoratu digna passim evenerunt.

EVentuosum fuit inprimis & lamentabile multis populis, vernum Anni huius supra millesimum sexcentesimum, tertii, tempus, ob principum aliquot personarum lugubrem ex hac vita decessum; Nam, ut alias iam non commemorem regiones, vel soli Germaniæ, quæ communis nostra patria est, grauis admodum & tristis, duorum illustrissimorum & potentissimorum principum & Dominorum, Dn. Georgii-Friderici, Marchionis Brandenburgensis, &c. & Dn. Anno 1603.

Vdalricus Dux Megapolitanus moritur.

Anno 1603. Vdalrici, Ducis Megapolitani, Principis vetuſtæ gentis Henetæ, Comitis & Adminiſtratoris Sverinenſis, Roſtochii & Stargardii Domini, &c. morte, inuſtus eſt dolor. Amiſit enim ea duas præſtantiſſimas columnas, in quarum maturo admodum & prudenti conſilio tutiſſimè requieſcere, quarumque autoritate graviſſima ceu fulcro quodam firmiſſimo inniti ſine metu & timore rectiſſime poterat. Cum autem de Celſiſſimi Principis & Domini, Domini Georgii Friderici Marchionis Brandenburgici obitu, ſuperiori libro ſatis mihi dicta ſint, & vero Duce hoc Megapolitano abrepto, Dania, Anglia, Scotia, Saxonia electoralis, Guelphica & Holſatia avum & proavum; Brãdeburgum vero, Haſſia, Pomerania, Saxonia inferior, & Curlandia, affinem, ſobrinum, agnatum, & avunculum amiſſum lugeant, gratum me lectori officium præſtiturum putaui, ſi à rebus præclare geſtis & vita huius præſtantiſſimi Principis vere miranda, initium huius ſecundi libri

bri faciens, hiſteriam eius ſtrictim de- Anno
libarem. 1603.

Parentes igitur Princeps hic *Vdalricus* ex clariſſimis Cæſarum, Regum, Electorum, Ducum, Megapolitanorum, Brandeburgi, Saxoniæ Electoralis, Saxoniæ veteris, Bavariæ, Pomeraniæ, Poloniæ, Moſoviæ, Badenſium, Auſtriæ; Danicæque familiis ortos habuit, Albertum nempe Ducem Megapolitanum, & Annam, Ioachimi primi Electoris Brandenburgici filiam. A quibus cum Anno Chriſti 1572. natus eſſet, ad omnem poſtea heroicam virtutem aſſuefactus, & tam liberaliter educatus eſt, ut cum laudatiſſimis quibuſque principibus, tum recentioribus tum veteribus, conferri merito potuerit. Pietas namq; ipſi pro oculo, & prudentia pro manu fuit, quibus togatam quidem adminiſtrationem ad gloriam Dei & ſubditorum utilitatē, arma vero ad curandos Reip. morbos & pacē promovendā ſemper contulit. Nam ſimul atq; in Epiſcopatū Sverinenſem, q̄ Ducis Henrici Senioris commendatione,

Anno 1603. An. 1550. factum est, patrueli suo Henrico juniori, & triennio post, in eum quem decedens iam reliquit principatum, successit, tria heroica & Christiano principe dignissima utilissimaque opera simul fere & semel suscepit, Ecclesiarum nempe in Ducatu Megapolitano reformationem, iudiciorum constitutionem, & Academiæ Rostochiensis restaurationem, sciens nimirum decere magistratum, ut pietatis, Ecclesiæ, religionis, Scholarum, iustitiæ, legum, artium & disciplinarum honestarum omnium, custos sit atque patronus fidelissimus.

Certam autem tum constituit doctrinæ, rituum & totius gubernationis Ecclesiasticæ formam, non ex turbulentis rationis humanæ lacunis deductam, sed ex limpidissimis verbi diuini fontibus hausta atque derivatam, qua longè lateque per ditionem istam proseminata, etiamnum Megapolitani utuntur. Non minori autem cura legibus conseruandis operam navavit. Nam ad imperii inprimis Romano-Ger-

Germanici iura, & ad leguin civilium præscriptum, totam suam gubernationem in causis decidendis conformari voluit, & ne legibus sua deesset executio, Ecclesiasticum simul & provinciale iudicia fermè collapsa restaurauit, quorum alteri inspectio disciplinæ Ecclesiasticæ & matrimoniorum commendata esset, in altero vero tanquam in instructo Areopago non solum subditis, sed ipsis etiam principibus ius diceretur. Et quia intelligebat leges atq; doctrinam indissolubili quodam inter se fœdere iunctas esse, ut & simul floreant & simul intercidant, itaque ad recolligendas Academiæ Rostochiensis, ex superiorum annorum naufragiis reliquas tabulas animum adiecit. Cum enim superioribus seculis ciues Rostochienses aduersus Senatum, eiectis cõsulibus, admodum tumultuarentur, & Cæsaris Pontificisque autoritate proscriptionis fulmen in ciuitatem istam evibraretur, iussa est Academia à concilio Basilienſi inde migrare & fugere, quę dicto audiens, Gryphiſvaldum Po-

Anno 1603.

Anno 1603. meraniæ conceſſit, unde etiam poſtea Academiæ Gryphiſvaldienſis origo extitit. Licet autem non ſine difficultate ad priſtinam ſuam ſedem poſt aliquot annos reverteretur, non ſemel tamen poſtea in grave diſcrimen eſt adducta, ac ſemper fœde aſperſa eius facies fuit, donec Henricus & Iohannes Albertus Duces Megapolitani, omnes ſuas cogitationes ad reſtaurandam eam converterent, & deficientibus illis, Vdalricus Princeps, conſtituta profeſſoribus noua & ampla ſatis dote, & diverſis collegiis in unum concilii corpus coactis, reparationem iſtam ad finem perduceret.

Cæterum cum Henricus Dux Megapolitanus, diem ſuum Sverini obiiſſet, nullo hærede maſculo relicto, & partē illam Ducatus ad fratris Alberti filios morte ſua devolviſſet, maximus natu Ioannes Albertus, ad gubernationem Reip. ſolus eſt evectus. At gravis paulo poſt inter fratres Ioannem Albertum atq; Vdalricū coorta quæſtio eſt, quod hic de gubernatione ditionis ſecum cō

muni-

municanda & familia hercſcunda crebro inſtaret, illevero pactum de decennii adminiſtratione, quæ ſibi ſoli mortuo patre communi omnium fratrum accedente conſenſu tradita eſſet, opponeret, Hinc enim ea animi abalienati ſignificatio inter fratres extitit, ut Vdalricus non tantum apud vicinos principes de fratre conquereretur, ſed ab Henrico etiam Duce Brunſuicenſi auxilia impetrans, exercitum finibus Ducatus Megapolitanici applicaret. Etſi autem graviſſimus erat tum in principe Vdalrico dolor, obortus ex conſideratione earum rerum quarum memoria in generoſis & magnis animis faces ad inflammanda odia atq; bella inteſtina accendere ſolet, tanta tamen tamq; excellēs in hoc Principe virtus fuit, ut prius omnia conſilio quā armis experiūda ſibi ſtatueret, ordines igitur Reip. ad ſe Butzovium, quod eſt ad Varni & Nebulæ confluētem ſitum oppidum, evocat, ius ſuum eis proponit, quanti calamitatum fluctus patriam inundaturi ſint, ſi res in apertum bellum erum- Anno 1603.

Anno peret, edocet, quæ sit mens sua, pacis
1603. quam belli studiosior testatur, & ut rebus afflictis consulant hortatur. Itaque contentio illa postmodo ordinum interventu composita, & concordia inter illustrissimos istos fratres cum summo omnium hominum applausu feliciter firmata est.

Sed ad gubernationem admissus, non cessavit ordinum hoc beneficium novo prudentis & excellentis ingenii bono compensare, viam enim regiam quæ est inter Wismariam & urbem Lubecensem multis latrociniis tum infestam, sua statim opera perpurgavit; iter quod per præfecturam Graboensem prædonibus patebat, intercluſit, & Ducatum istum ab incursionibus externis, toto suæ gubernationis tempore per annos fermè quinquaginta Dei beneficio salvum tutumque conservavit. Quod quidem beneficium in Ducatum istum collatum nõ fuit exiguum. Est enim Ducatus iste satis amplus, qui ab occidente Travum habet, clarissima urbe Lubeca, quam lambit, nobilitatũ fluvium

fluvium, & inde versus hiemalem occasum, iuxta metas agri Lubecensis, & terminos veteris Saxoniæ, ad Albim usque protenditur, finibusq; Ducum Luneburgensium & Brunsuicensium longissimo tractu exclusis, versus meridiem in Marchiam Brandeburgensem prominet, mox ad orientem recurrens latere satis spatioso Pomeraniam terminat, donec ad septentrionem & mare Balthicum reuersus, ne littore quidem illo in Germania extremo, fines suos circumscribi patitur, sed in ipsum quoque mare, non exiguo spatio, Daniam versus se extendit. Intra hos fines tam late patentes regio ista Megapolitana continetur, ut mirum sit, quod in pace ibi homines vivere, & sub ficu viteque sua in summa tranquillitate sedentes, omnibus vitæ subsidiis uti frui possint, sed hoc ipsum post singularem Dei opt. max. beneficentiam, eximiæ Principis Vdalrici prudētiæ acceptum ferendum est, qua honestam disciplinam defendens ab hostili incursione immunem regionem istam & liberam fecit. Anno 1603.

Anno 1603. Cæterum cum magna esset lateque diffusa eius potentia, ut non sine multorum oculis manibusque gubernari posset, caute admodum Princeps hic inofficiorum, quibus Re pub. gubernatio continetur distributione versaba tur, ut accurate inter se munus & personam confe rens, temere maioribus negotiis neminem præficeret, & non raro in cuiusq; officii administrationem sol licite inquireret. Nam quemadmodum laudi sibi ducebat, legibus se alliga tum Ducem profiteri, ita à civibus celebratos contractus firmiter ac bona fide servari, scelera vero, furta, libidines, adulteria, defraudationes, homicidia severe coerceri voluit, itaq; iudiciis gravioribus ipsemet semper præerat, alteram aurem actori prębens, alteram reo integram servabat; Sycophantas, calumniatores & ad latores vehementer detestabat ur, & de effrenata huius seculi malitia non leviter subinde conquerebatur, δωροφαγίαν & i uris illas emptiones vend tionesque odio implacabili prosequebatur, veritatis cultor religiosissi-

sissimus, pactorum servantissimus, arrogantiæ, levitatis, nequitiæ, novitatis osor acerrimus existens. Antiquas consuetudines & fœdera sanctissime tuebatur, amicitiam, benevolentiam, & studia sua, cum summa mansuetudine & iniuriarum etiam atrocium condonatione coniuncta, exemplo fere inaudito vicinis probauit, in vectigalibus, tributis & oneribus imponendis circumspectus; in doctos, probos, egenos beneficus, & in omni sua vita liberalis. Venationibus sic delectabatur, ut vel disciplinæ bellicæ meditatio essent, vel recolligendis viribus servirent, Cumque in theatro quodam totius orbis terrarum amplissimo atque clarissimo sese constitutum ab omnib. conspici, notari, observari putaret, indefessis semper & ardentibus precibus se & sua omnia Deo quotidie committere, bene facere, æquitati studere, afflictos erigere, patrocinari pupillis, parcere subiectis, sontes punire, & id unice curare videbatur, ut ciues beatissimam illam cœlestium vitam in hac mor- Anno 1603.

Anno 1603. mortali conditione imitarentur. In primis autem fideli multorum præceptorum, hoc est, librorum institutione utebatur, quos sciebat nec adulari ipsos, nec adulari sibi pati, quibus, & præsertim sacris Bibliis historiisq; aliis legendis, veram prudentiam est adeptus. Quare cum & pius esset & religiosus Deiq; amātissimus, Deus etiam ipsum redamauit, dato ipsi spiritu suo sancto, qui eius pectus vera sapientia illustraret, ut & Deū, & se & suos recte nosset.

Nec vero defuerunt pietatis huius tam eximiæ fructus alii, utpote autoritas, coniugium suauissimum, Soboles proba, vitæ longævitas. Ornaverat enim Deus hunc Principem singulari autoritate, qua in sui admirationem omnes orbis Christiani principes rapuit, quaque excitatus Cæsar, ipsum inferioris Saxoniæ moderatorem esse voluit, in quo etiam munere Cæsari eximiam fidem, prudentiam, felicitatemq; suam admirandam ita probauit, ut eo Duce & Exarcho uniuersa ist'us Circuli Resp. salua & florens, & si ad vicinas pleraſq; mundi

mundi partes aciem animi intendas, Anno
beata extiterit. Quod ad coniugium e- 1603.
ius attinet, illud felix semper & beatum expertus est. Prima enim eius vxor Elisabetha Cimbrica, potentissimæ Reginæ Danicæ mater, singulari prudentia, ingentibus ingenii viribus, & magna naturæ felicitate extitit, Ea autem Anno 1586. placide defuncta, illustrissimã heroinam Annam Pomeranicam, excellens pudicitiæ, temperantiæ, frugalitatis, & omnium honestarum, fœminino quidem sexui convenientium actionum exemplum duxit, & eximium senectutis baculum usque ad vitæ suæ finem habuit.

Sereniſſimam autem filiam ſuam Sophiam, quam ex primo ſuſcepit matrimonio, omnibus & animi & fortunæ dotibus divinitus cumulatam heroinam, illuſtreq; virtutum regiarum ſpeculum, potentiſſimo Danorum Regi Friderico II, cuius memoria eſt in benedictione, nuptum dedit, atque ex ea nepotes tres, neptes vero quatuor quã maxime florentes vidit, Chriſtianum

IV. Re-

Anno 1603. IV. Regem Daniæ modernum potentissimum, Vdalricum in Episcopatus Sverinensis Administratorem iam ascitum, Iohannem à magno Duce Moscico in generum adoptatum; Annam, Iacobo VI. Scotorum, & nunc etiam florentissimæ Angliæ Regis; Elisabetham Henrico Iulio, Duci Brunsuicensi & Lunæburgensi; Augustam, Iohanni-Adolpho, hæredi Norvegiæ; & Hedvigen, Christiano II. Saxoniæ Electori, potentissimis, serenissimis & clarissimis totius fere Christiani orbis Principibus, elocatas vidit, & expleriſq; pronepotes sibi natos, summa cum lætitia intellexit.

Tandem igitur annorum & vitæ satur, hic currus & auriga Reipublicæ, Musarum patronus, omnium virtutum promus & cōdus, Princeps clarissimus, felicissimus, mansuetissimus, in vera agnitione & celebratione Filii Dei, & publica cœlestis doctrinæ confessione, Gustrovii Anno 1603. die Martii 14. cum vixisset annos ferme 76. Episcopatui Sverinensi præfuisset 53. Remp. verogu-

rogubernasset annos 50. inter desi- Anno
deratissimos filiæ cōiugis & fratris Caroli 1603.
amplexus & lachrymas, pie & placide
expirauit, lætus iam in conspectu Dei,
glorioſiſſimū illū restitutionis omni-
um rerum diem, quo ex defunctis in vi
tam omnium terrarum seculorumq;
omnium hominibus, domicilium ſu-
um animus recepturus est, ingenti cum
desiderio expectans.

Prolixior tibi aliquanto lector visus
sum, in commendando hoc Principe;
sed ignoſce quaſo, nihil enim hic à me in
ostentationem laudis beatissimi istius
Principis conmulatū & confictū esse, te-
stes producere illustres & omni excep-
tione maiores satis multos possem,
nec mihi temperare potui, quin de in-
signi pietatis, prudentiæ, aliarumq; vir-
tutum & meritorum celsissimi huius
Principis, laude summa tamen tantum
secutus vestigia rerum hic annotarem,
cum præsertim viderem præter ipsam
Holsatiam, totos regna & regiones alias
utpote Daniam, Norvegiam, Angliam,
Scotiam, Saxoniam electoralem, Hol-
satiam, Guelphicā, Brandeburgū, Haſ-

Anno 1603. siam, Pomeraniam, Saxoniam inferiorem, Curlandiam, &c. suum, ob amissum hunc Principem, luctum, planctu, lachrymis & gemitibus infinitis contestari.

Comitia Ratisbonæ celebrata.

Eodem hoc tempore quo Princeps Vdalricus ex hac vita in cælestem patriam migrauit, Comitia Ratisbonæ habita sunt, præside & moderatore illustrissimo celsissimoq; Principe & Dn. Dn. Matthia Austriæ Archiduce, Augustissimi Cæsaris Rudolphi II. fratre Germano. Cum enim is multis grauissimis causis impeditus, præsens ibi adesse nõ posset, prædicto illustrissimo fratri suo hanc imposuit prouinciam, ut suo nomine congregatis ibi Electorum, Principum Ordinumque Legatis sequentia hæc capita, de quibus deliberationem fieri extrema postularet necessitas, proponeret, Primo cũ pernicioſissimi belli quod cum iurato Christiani nominis hoste, tot annos iam cõtinuos geritur, finis adhuc nullus appareat, quid faciẽdum censeant, vt nervi rerum gerendarum, & sumptus ad resistendum crudelissi-

lissimo huic hosti necessarii imposterū suppetere possint. Deinde quomodo bellum, quod in vicinis inferioris Germaniæ regionibus, nō sine multa Christiani sanguinis effusione, & Imperii detrimento singulari, etiamnum flagrat componi, vel saltem induciæ inter partes fieri, & animorum ista Christianorum exacerbatio sedari commode possit. Tertio, Iudicia Cameræ Imperialis quomodo utiliter reformanda & constituenda. Quarto, incommodis & damnis quæ per inexplebilem fœneratorum & negotiatorum avaritiam ex re nummaria existere cernuntur, quomodo salubriter & tempestivè occurrendum. Quinto tandem quomodo defectus Albi vel matriculæ Imperialis explendus & compensandus sit. Cæterum his de capitibus deliberatio quomodo instituta & quid tandem collatis sententiis definitum statutumque sit, cum exactis, quæ hac de re Moguntiæ expressa & publici iuris facta extant, cuilibet videre & cognoscere liceat, plura hic commemorare, necesse non est. Anno 1603.

Anno 1603.

Negotiationes Hollandis in Hispania cũ conditionepermittuntur.

Quomodo per Hispaniam, Flandriã & Brabantiam omnis cõmerciorum usus, Hollãdis & aliis, quos pro hostibus Hispani habent, ante hæc tempora interdictus fuerit, ex superioribus tomis notum esse cuilibet potest. Nam & superiori anno inhibitio ista renovata & novum ab Hispano edictum promulgatum est, quo portuum & rei maritimæ custodes in omnes nautas maiori diligentia, quam antea factum esset, inquirere, suspectos detinere, & deprehensorum bona in fiscum regium inferre iubentur. At Hollandi neglectis eiusmodi mandatis omnibus, navigationes continuare & commercia sua non sine insigni Lusitanorum detrimento & incommodo promovere nequaquam cessarũt; Itaq; de summo rigore remittendum aliquo modo & navigationes istas certis cõditionibus permittendas Rex putauit, si forte indulgentia ista sua, quod severitate non potuit, obtineret, ut nimirum ipsimet sua sponte à navigationibus istis abstinerent, cum ut illicita & vetita magno

desi-

desiderio appetuntur, sic licita contra ingrata plerunque sint & contemnantur iuxta illud Poetæ: Anno 1603.

Cui peccare licet, peccat minus, ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit,
Nitimur in vetitum semper cupimusq; negata,
Sic interdictis imminet æger aquis.

Accedebat vero & hoc, quod telonia & portoria imminui hac nauigationū inhibitione videret, quæ nihilo ab Hollandis minus exercebantur vectigali & portorio nullo soluto, Itaq; ne ita impune & libere navigantes imposterum evaderent, soluto metu portoria ipsis nova constituere visum est, nempe ut pro centenis singulis solverent triginta, & tunc liberè quo vellent bona sua deportarent. Commouit hæc Regis Hispani moderatio, Archiducem Albertum, ut publicis literis non solum suos hac de re admonendos, sed & omnibus qui propter motus & tumultus bellicos relictis sedibus suis alio concesserant significandum putaret, patere ipsis imposterum nō reditum solum sed aditū

Anno 1603. etiam ad bona sua relicta & fisco iam pridem applicata omnia, idq; sine ullo pecuniarum dispendio, quod aliàs pro iure civitatis à iudicibus aut magistratu redimēdo facere advētantes oporteat, modo ad clementiam suam confugientes, obedientiam sibi debitam porro præstarent, quod uti faciant & benevolentiam suam agnoscant omnes paternè hortatur.

Fons mirabilis prope Treviros apertus.

Schweig pagus est nō procul à Trevirensi civitate dissitus, prope quem in aperto campo non ita pridem fons sese quidam salutaris admodum & mirabilis aperuit. Eius vero virtus & efficacia in Aprili huius anni mirabiliter per quēdam Stephanum Petri detecta est, Laboraverat enim is ex pedibus per annos decem vel amplius, & medicinam variam expertus, levari dolore suo quem exquisitissimum sentiebat, adeo non potuerat, ut tandem ne movere quidē pedem lecto posset. Accidit igitur forte fortuna ut aeris mutandi gratia in campum sese deportari à suis rogaret, cumque iuxta fontem istum expositus, salientem

entem limpidissimè aquam videret, bi bendi desiderio accēsus, manibus hau stam gustavit. Cæterum cum potu isto non recreari saltem mirifice, sed & doloris aliquam levationem percipere sibi videretur, desiderio istius fontis locū aliquoties repetiuit, equorum beneficio eo delatus. Animaduersum est interim à vicinis, melius ipsum paulatim habere, & amissam sanitatem recuperare, itaq; cum fontem istum repetere quotidie cerneretur, quid medicinæ pedibus adhibuisset, ut cum claudus antea lecto adhæsisset, iam gressus figere & incedere sine ullo impedimento posset, interrogatus, divinam fontis istius efficaciam celebrare cœpit, cuius solius virtute amissas suas vires recuperasset. Fama hinc statim ad loca vicina emanauit, qua excitati ægroti & malè affecti quamplurimi, fontem istum pro impetranda valetudine requisiverunt. Compertum est igitur multis & internis & externis corporis morbis aquam istam mederi, Nam & à vertigine, & à calculi doloribus, lepraq; & aliis medi- Anno 1603.

Anno 1603. cinam omnem respuentibus morbis liberatos esse, & amissum visum auditumque recuperasse multos, multi sunt viri fide dignissimi qui testantur, & nomina eorum qui lotione & potatione saluberrimæ huius aquæ sanati sunt, recensere hic difficile non esset.

Post Iacobi VI. Scotorum Regis in Angliam adventum, de quo in superiori libro dictum est, Reges & Principes varii, legatos suos qui ipsi gratularentur, eo destinarunt, Sic enim Galliæ Rex Rosnium in Bironii locum nuper suffectum, Fridericus vero Dux Wirtenbergicus, Beniaminem Beuvvinchusium, Albertus Archidux Austriæ, Marchionem Haurium & Arenbergicum Comitem, Ordines vero confœderati Comitis Mauricii fratrem Henricum-Fridericum Nassovium, cum Barnefelsio ablegarunt, cum autem Archidux potissimum, post solennem gratulationem, à Rege petiisset, ut mediatorem se inter confœderatos Ordines & personam

Responsum Regis Angliæ ad Archiducis petitionem.

suam

ſuam præberet, pacemque Ordinibus ſuadens, eos ad obedientiam ſibi tanquam legitimo totius Belgii Domino præſtandam, certis conditionibus perduceret; Rex ipſi in hanc ſententiam fere reſpondit, ut principio gratam ſibi fuiſſe amicam iſtam ſummæ erga ſe benevolentiæ ſignificationem teſtatus, promitteret, ſe, ut eam non conſervet modo atque tueatur, ſed ut pari benevolentia ipſi reſpondeat, operam daturum unicè. Deinde rumorem de exercitu ex Anglia in Belgium mittendo, quem ad ſe perveniſſe Archidux ſignificaverat, inanem, falſum & fruſtraneum eſſe, oſtendens, non negare ſeſe quidem affirmaret multos inde à pueritia ſua repertos, qui ex finibus regni ſui ſubinde egreſſi, Principibus in Europa bello implicatis ſine diſcrimine variis, operam ſuam obtulerint, & hinc tam ſub Regis Hiſpani quam ſub confœderatorum Ordinum Imperio ſtipendia multos feciſſe, ſed cum ſine

Anno 1603.

Anno 1603. consensu & iussu suo id factum sit, non posse sibi causam eius rei imputari, quē admodum etiam Hispanus ea de re apud antecessores suos conquestus nunquam fuerit. Tandem paratissimum sese polliceretur, & renovatam amicitiam acceptare, & ne quid quod eam lædere possit suo iussu committatur diligenter imposterum præcavere.

Motus Embdanus quibus conditionibus compositus.

De motu qui inter Ennonem Frisiæ Orientalis Comitem & civitatē Embdensem superiori anno extitit, alibi dictum est, Cum autem is indies magis magisq; augeretur, & maximum inde periculum vicinis populis imminere videretur, cives ad confœderatos Ordines confugiendum sibi rati, impetrato ab illis auxilio Comitem in eas coniecerūt angustias, ut paulo post Hagam profectus, ordinibus sese purgare, & eorum operam ad componendos motus istos implorare necesse haberet. Itaque eorum interces sione & sequestratione bellum hoc anno tandem compositū, & pax inter partes certis conditionibus facta est, quarum quidem summa hæc ferè

ferè habetur. Primo omnium ἀμνηστία Anno
fiat, hoc est, offensionibus omnibus 1603.
quas durante hoc tumultu partes quo-
quo modo percepissent, planè sublatis
& sepultis, iniuriæ omnes oblivioni
radantur, nec unquam in æternum
mplius repetantur. De contributioni-
us vero acceptis & solutis, controver-
iæ & lites parti nulli moveantur. Man-
ata executorialia à maiestate Cæsarea
ontra civitatem Embdensem impe-
rata, pro irritis & nullis omnino habe-
ntur, hac tamen lege & conditione,
t Comiti de ciuilibus actionibus hac
uidem transactione nondum com-
ositis, intra menses tres, legitimè per
enatum civitatis satisfiat, hocenim
eglecto Comiti ius suum à Cæsare im-
etratum salvum semper fore. Deinde
rti cuilibet quicquid durāte hoc tu-
ultu ædificiorum, pagorum, tormē-
orum & id genus aliarum rerum ere-
um ablatumq; est, quantum fieri pos
restituatur, Cumq; Comes Civitati
mmunitatem ab oneribus, toti regio-
novis constitutionibus Anno 1601.

Anno 1603. impositis, clementer permittat, acquiescet Civitas & consentiet moderationi in Frisia Orientali hoc nomine per provinciales paulo post constituendæ. Itaque etiam captiui ab utraque parte liberè dimittentur, & intercessione Comitis efficietur, ut quicquid navium & bonorum à Dunkerkanis detentum hactenus est, Embdensibus restituatur, nec periculum ipsis eiusmodi imposterum metuendum sit. Tertio quicquid Ciuitati per articulos Delfsilæ conceptos, ipso postmodum Cæsare annuente permissum & concessum est, salvum per omnia maneat, nisi forsitan partibus consentientibus aliud quid determinetur. Itaque vocatio, præsentatio, collatio & confirmatio ministrorum Ecclesiæ, penes Civitatem pro tenore articulorum Delffiliensium, maneat, ita ut personæ etiam præsentatæ licitum sit vocationis suæ munus sine ullo periculo obire, si Comes confirmationem eius ultra quatuordecim dies differat, Cœtui item & conventui classicali ut in Civitate maneat,

t, permittatur. Quin etiam pote- Anno
i Quadraginta virum relinquatur, 1603.
gulis Calendis Ianuarii, de quatu-
Consulibus & octo Senatoribus
vitati per ordinariam electionem
ıspicere, ita tamen ut transmissis
Comitem eorum nominibus, con-
natio post præstitum ab ipsis usita-
n iuramentum septimo Ianuarii
t. Quæ si forte à Comite intermit-
ur, designati consules præstito iura-
ento suo, pro confirmatis nihilo-
inus habendi, & ad officium admit-
ndi sint, quo omnia disponere & or-
nare libere possint, quod ad pacem
tranquillitatem civium quam ma-
me ipsis facere & pertinere vide-
ur, Quarto, consentit etiam Comes
suburbia ab Embdensibus cum ci-
tate primaria coniuncta, sub unam
risdictionem revocentur, hac ta-
ıen conditione & lege, ut recom-
ensatio hoc nomine Comiti per
bitros honestos, & non suspectos
efinienda præstetur. Interim suburbia
illa

Anno 1603. illa iurisdictioni Comitis, donec muris per Embdenses cingãtur, immediate subiaceant, pro ædificiis autem & locis aliis, propter murorum extructionẽ destruendis, numerato honesto precio possessoribus per Magistratum satisfiat. Nec pro murorũ hac perfectione onera Civibus maiora, quam quæ communi totius Civitatis suffragio constituẽtur, imponantur. De bonis vero aliunde per ciuitatem portandis & vehendis nihil omnino præter veterem consuetudinem exigatur. Quinto si piratas vel hostes aliquos extra civitatem grassari contingat, communicato cum persona ad hanc rem peculiariter à Comite designanda, consilio, Senatus eos persequendi & inde profligandi potestatẽ habeat, Quin imo si forsitan absente persona ad hoc peculiariter designata res moram non pateretur, profligationem magistratus sine ullo præiudicio statim tentare possit, dummodo quos comprehenderint, potestati Comitis postea tradant eique examinandos & puniendos relinquant. Sexto, Literas salvi

i conductus, si quibus forsitan Cõ- Anno
es & Senatores pro nautis, quorum 1603.
mina tamen simul Comitii aperien-
sunt, opus habeant, Comes sese da-
um tanta copia quanta petentur,
ipit, utque commodius hoc fiat of-
a aulica indigenis quantum fieri po
t personis administranda commit-
tur , & si forsitan bellum aliquod
cipiendum exercitusq; conscriben-
s sit, sine ordinum Orientalis Frisiæ
nsultatione & consensu id non fiat.
oc enim fine Comitia(sed in nulla ta
en munita arce)celebrabuntur , & si
rte petentibus id propter necessitatẽ
rdinibus, Comes, comitiorum pub-
ationem per tempus menstruum fa-
re negligat, ordinibus instituto con-
ntu de rebus necessariis deliberare &
r libera vota , vel absente Comite,
usas decernere , permissum omnino
liberum erit. Septimo pro confirma-
one horum articulorum , & maioris
iam securitatis causa, Comes civitati
rmittit , ut septingentorum vel cir-
ter militum copias suis & regionis to-

tius

Anno 1603. rius sumptibus alat atque sustentet, quibus à Consule constitutus aliquis præfectus, iuramentum fidelitatis Comiti, ordinibus Frisiæ orientalis & Civitati præstet, seque non nisi contra externum hostem & seditiosos civium motus militibus istis usurum recipiat, Cæterum spacio trium vel quatuor septimanarum exclusivè, omnem exercitum partes dimittant & arma hostilia deponant, ita ut omnes actus hostilitatis essent, & ne unus quidem istorum militum qui vel pro Comitis vel pro Civitatis partibus hactenus militarunt & stipendia fecerunt, in universo Comitatu Frisiæ Orientalis retineatur, aut firmandis præsidiis adhibeatur, præsertim cum subditorum suorum qui passim in pagis habitant diligentem haberi rationem, & oneribus eorum quantum fieri possit sublevandis inserviri Comes clementer velit.

Cæsar articulos hosce approbare recusat.

His ita meditantibus confœderatis Ordinibus Hagæ Comitis transactis & compositis partes sua nomina subscri-

ipſerunt, appenſoque ordinum con- Anno
ederatorum tanquam interceſſo- 1603.
m peculiariter ad hoc officium exo-
torum ſigillo, literas tenorem ho-
m articulorum continentes, ad Cæ-
rem confirmandas miſerunt, qui ve-
eas approbare, & articulos hoſce ra-
s habere nullo modo voluit, quod
toritatem Comitis feudatarii ſui, nō
rum illis imminutam diceret; itaque
m non per literas tantum, ſed per le-
tum etiam, adhibito nimirū ad hanc
n Maximiliano Lochio, quam fa-
m hoc ſibi diſpliceret Comiti oſten-
ſet, ipſe ſtatim Hagam profectus va-
cum ordinibus hoc nomine locu-
s eſt, ad quæ Ordines publicis literis
e reſponſuros, tum receperunt.

Hiſpani à vectigal à nautis in Rheno navigantibus exigunt.

Superioribus annis cum Hiſpani
einbeckam tenerent, naves Rhenū
ambulātes vectigal ipſis pendere co
bantur, ꝙ poſtmodū, oppido in Mau
cii poteſtatem redacto, ægrè admo-
m amiſerunt, itaq; non ſemel illud
cuperare conantes, extrema quæque
utis minati ſunt. Inprimis autē præ-

teri-

Anno 1603. terito huius anni Iulio, Alberti Archiducis nomine per teloniorum præfectum literæ ad nautas in littore civitatis Colonienſis tum ſubſiſtentes ſcriptæ ſunt, quibus in memoriam ipſis revocatum eſt, quomodo vectigal Hiſpanorum Regi debitum, ante hæc tempora naves teloniorum præfectis ſolverint, itaq; licet Reinberka iam quidē in Mauricii poteſtatem pervenerit, nolle tamen Regem ab hoc ſuo iure decedere, ſed mandare quam ſeveriſſimè omnibus in Rheno navigantibus, ut in Geldriam ſeſe recipiant, & ibi de vectigali hactenus intermiſſo impoſterum vero rurſus ſolvendo rationem præfectis reddant, promiſſa obedientibus ſecuritate & patrocinio debito, inobedientibus vero & ſuperbe voluntatem hanc regiam aſpernantibus, pœna poſt amiſſionem omnium bonorum, capitali ſtatuta.

Res Hungaricæ. Menſe Auguſto, cum Chriſtiani milites in Hungaria tribus diſtinctis locis, prope Comorrham nempe, Strigonium & Peſtam conſediſſent, ex Buda qui-

dam transitum ad eos facientes, cum de proditione suspecti essent, fustuario excepti & examinati sunt, itaq; ut metum nostris incuterent, expectare Budenses iam indies à Sultano auxiliares 200000. copias, & Vetzieri Bassæ sub pœna capitis iniunctum à Sultano esse, ut Strigonium hac æstate quacunq; tandem ratione sibi recuperet, mentiti sunt. Tametsi vero fides hisce non per omnia adhiberetur, pro cavendo tamen & propulsando periculo, novo cõmeatu Strigonium firmatũ & ex Pesta quicquid superfluũ plumbi ibi putabatur, eo transportatum est. Paulo post Tartarorum infra Quinqu Ecclesiam subsistentium aliqui, cum erectis signis ad Collonitsium transeuntes, retulerunt, Chamum Tartaricum reditum in Tartariam meditari, & brevi ex Hungaria discessurum, propterea quod fratris sui filium, quem obsidem Sultano ante hæc tempora dederat, clam sese ex Constantinopoli subduxisse, & in Tartariam reversum, regno suo inhiare inaudisset. Nuncium autem hunc irritum Anno 1603.

Anno 1603. & mendacem non fuisse eventus comprobavit, ut paulo post dicetur. Interim Turcis quibusdam Pallanivvariam ex improviso occupatum excurrentibus, cum à præfecto propugnaculi feliciter reiecti, & cæsis multis, vivi quidam comprehensi fuissent, relatum est nostris, Vetzierem Bassam ex Belgrado cum 8000. fere egressum, plaustra aliquot commeatu vario onusta Budam transferre constituisse, quod multos subinde ad nostros ex Buda deficere inaudisset, & Budenses ni quatuordecim dierum spacio sufficienti cõmeatu sublevarentur, novi aliquid quod nunquam cogitassent, sese molituros professi essent, fames enim inter eos adeo invaluerat, ut equis fere consumptis omnibus, equitatus adesset perquam exiguus, pedites vero numerosi satis & copiosi, conquisito per domos singulas alimento, tandem vi summa in ædes ipsius Bassæ irruentes, quicquid invenirent cibariorum eripuerint. Edocti igitur de Vetzieris adventu nostri, ut commeatum istum inter-

interciperent, Sultzius quidem & Altheimius cum peditatu, aqua, Collonitsius vero cum equitatu, terra, in occursum ei contenderunt, Cumque 22. Augusti, Collonitsius cum parte exercitus haud procul ab oppido Mohatsch & Esseg Muratham Bassam exercitum 6000. Barbarorum, inter quos 2000. Ianitsari numerabantur, ducentem offendisset, ingenti eum impetu castris eiecit, verum ad dimidium miliare progressus, cum qui in subsidiis erant ægrè sequerentur, conversa acie à Barbaris reiectus est, qui tantis iam viribus pugnam renovare videbātur, ut nisi Heiducci navigiis suis advolantes, auxilio nostris veniissent, damnum evadere maximum vix potuissent. Sublevati igitur ab Heiduccis, in Barbaros insurrexerunt iterum & incenso ponte eos tandem profligarunt. Spoliorum quidem præter vexillum Murathis Bassæ prætorium rubrum, & candidum alterum ingentis magnitūdinis prætereaque tormenta duo mediocria,

Anno 1603.

Christianorum cum Turcis in insula Mohatschia conflictus

Anno 1603. cria, ex pugna ista nihil lucrati sunt, ex Bega autem Sexardo, quem inter paucos alios comprehenderant cognouerunt, Vetzierem pridie eius diei in castra venire volentem à Chamo Tartarico, cõuiuio exceptum ato; detentum fuisse, ægrè autem admodum tulisse & graviter cum Chamo expostulasse, q cum copiis suis nondum progressus, Budẽsibus de commeatu prospexisset. Const tuisse præterea eum restauratis Sasvvaria, Paxio & Kalatscha castellis, Pestaq; recuperata, ad Strigonium movere, sed existimare tamen se, ob temporis brevitatem, id hac quidem æstate fieri vix posse, præsertim cum suas quidem copias congregare difficulter possit, Tartari autem à castris longe adhuc absint, & duo Bassæ alii ex Asia & Caramania, una cum seditiosorum in Asia præfecto, Ianitsarorumq; 6000. in castris etiamnum expectentur. Perierant in hoc conflictu ex nostris aliqui, sed ex barbaris tamen multo plures, & graviter milites Sultzensi succensere visi sunt, quod hostem persequi noluerit, veritus

veritus nimirum, ne ab insidiis forsitan aliquibus circumventus, pedem retrahere minus posset. Hanc enim ob causam Comes prædictus milites summa vi retraxit, unde postmodum confusis ordinibus pœnas hosti dare coacti sunt ipso etiam Collonitsio in manus eius semel atq; iterum deveniente, ex quibus tamē mirabiliter rursus est ereptus. Quod si vero continuato, quo initio cœperant, impetu, in hostem progressi fuissent, fructu suo victoria hæc non caruisset, cum præsertim solutionem pro anno integro Budensibus debitā, Barbari isti in castris secum haberent, & opes non exiguas fugientes desererent, quas reversi postmodum recuperarūt, bolo haud vulgari ex faucibus Christianorum erepto. Anno 1603.

Cæterum quarto septembris nostri qui ad Strigonium adhuc reliqui erant motis castris Eifelam versus dimidio miliari à Maruschio distantem, progressi sunt, vires suas cum reliquis coniuncturi & hostem postmodum summo impetu aggressuri. Interim mille e-

Anno 1603. quites Franci sub imperio Comitis ab Hollach, per Viennam contenderunt, & Brunovicenses mille alii, qui per annum fere integrum in finibus istis non sine insigni colonorum damno subsiterant, facta lustratione, castris nostrorum sese coniunxerunt. Itaque confirmatis iam viribus, Equitum magister Rusvvurmius, duos ex militibus, quorum spectata præ cæteris fides erat, vestitu indutos turcico, castris Turcarum speculatores immisit, qui cum per integrum octiduum inter medios hostes fuissent, sub initium tandem septẽbris reversi, Rusvvurmio nunciarunt, se perlustrato omni hostium exercitu, quem terra mariq; ducerent, deprehẽdisse, castra eos integro fere miliari cis Tolnã metatos esse, viribus tamen longè quam superiori anno infra Pestam conspiciebantur minoribus, Serdarem enim Bassam 12000. Murathem vero 5000. tantum ducere; Seditiosorum in Asia Ducem, qui vires suas ipsis conjuncturus diceretur, nondum advenisse, dubitare igitur hostes admodum de per-

Rusvvurmius speculatores castris Turcarũ immittit.

persona eius, pleriſq; non ipſum Ducē, ſed præfectum quendam qui à ſeditioſorum Duce defeciſſet, eum eſſe affirmantibus; Chamum Tartaricum ob cauſas ſupra dictas & litem etiam à Vetziere ipſi intentatā, multos ſecū Chriſtianos captivos ducentē, ſolutis caſtris, ad Danubium proceſſiſſe, eo enim arūdinum in faſciculos colligatarum beneficio traiecto, conſtituiſſe eum domū reverti, omnibus quibus à Vetziere ad perſeverandum in Hungaria diutius ſollicitaretur precibus, poſthabitis atq; neglectis. Præterea in flumine adhuc ſex navigia minora cum 10. maioribus ſeſe vidiſſe, in quibus 300. Ianitſari cum 3000. gregariis militibus aliis fuerint, qui commeatum integro unius dieiiti nere præcederent, pericula ſi quæ obiicerentur, averſuri. Ex omnibus autem circumſtantiis manifeſtè perſpici poſſe, copias Turcicas hoc quidem anno in Hungaria peditum 40000. & equitum 9000. numerum non ſuperaturas, idq; propter difficultates quæ Sultano obiicerentur quamplurimas, unde ani-

Anno 1603.

Tartarus ex Hungaria decedit.

Vires Turcarum in Hungaria hoc anno.

Anno 1603. mo in castris essent, la is exiguo & demisso, profiterenturq; se beatos fore si Buda commeatu firmata, Pestam hoc anno recuperare possent.

Interea dum hæc ita agerentur, Husari Strigonienses, facta excursione, comprehensos aliquot Barbaros cum equis pulcherrimis 127. secum abduxerunt, Sulzensis vero cum 300. militibus à castris paulumper abscedens, in cētū Turcas novitios, qui ubi cū seditioso Asiatico Duce advenissent, amore videndi Christianorum castra, Danubium cum 300. Ianitsaris traiecerant, incidit, cumque in 50. ferme quos præmiserat milites, impetum eos facere videret, auxilio ipsis statim veniens, adeo in eos exarsit, ut fugam arripientes, cęsi partim, partim in Danubio submersi perierint, & primarii quidam vivi in Christianorum manus pervenerint.

Corsubus Comitis à Sulz cū Turcis.

Commeatus Budā traducitur.

Cæterum 23. Septembris, Vetzier Bassa, commeatus partem non exiguam mille Camelis impositam, in Albam regalem traduxit, noctisq; beneficio ad Budam fere in Danubio advectus.

Anno 1603.

Aus, onustos reliqua commeatus parte currus aliquot & Camelos & Asinos, terra Budensibus transmisit. Hoc facto pontē per Danubiū ad insulam Adoniā traiicere cœperūt, ut nostros inde profligatos eicerent, ne autem in opere isto impedirentur, ingentes copias navigiis primo traduxerunt, quæ firmatis in convenienti loco castris, pontem defenderent. Cognito igitur hoc conatu Rusvvurmius, instructa statim acie hosti obviam processit, factoq; in equites impetu, fugam uti arriperent statim effecit. Sed & pedites nostri cum Ianitsaris congressi, tam pugnarunt fortiter ut quantumvis reluctantes initio, cedere tamen tandem & tergum vertere cogerentur. Tum vero ingentem cum clamore strepitum audisses, Turcis soluto prorsus ordine ad navigia summo conatu properantibus, vidisses vero etiam non sanguine solum percussorum rubentem Danubium, sed & infinitis Barbarorum cadaveribus, tanta copia oppletum decurrere, ut aquam vix dignosceres, cum præsertim nonsingillatim

Conflictus Christianorum cum Turcis in Insula Adoxia.

Anno 1603. tim fluminiinsilientes sese committerent, sed & catervatim submersis nimio pondere navibus, abysso fluminis absorberentur. Periit in hoc conflictu Bassa quidam haud ignobilis cum Bega Belgradiensi & multis præstantissimis militibus Barbaris, inter quos 1500 Ianitsari numerati sunt, præter eos quos Danubius extinctos & suffocatos abduxit, de quorum numero constare nihil potuit. Spoliorum nostri post adeptam victoriam nihil quidem præter arma, vestimenta & equos aliquot cum triginta vexillis & quatuor tormentis æneis, reportarunt, quibus quidem collectis ex insula ista ad stationem suam postmodum reversi sunt.

Possegiorũ regio à nostris capta.

Interim dum hæc ibi gererentur, Sigismundus Fridericus Trautmanstorffius, de Tartarorum ex Hungaria discessu certior factus, cum copiis suis, sex millibus peditum, equitum vero mille & quingentis constantibus, in Possegiorum regionem, quam sub Turcarum imperio constitutam, Tartari

ex parte iam possederant, irruens, omnia ad aliquot miliaria igne & gladio vastavit, Possegam vicum præ cæteris celebrem & 1500. ædificiis constantem, à quo totus ille tractus nomen suum obtinet, una cum propugnaculo succendit, pagosque præstantiores quosque delevit, frumento & commeatu simul omni corrupto & disperdito, ita ut Turcæ ibi subsistere diutius non possent, præsertim cum paulo ante Valachi etiam ducentos fere pagos in regione ista miserum in modum depopulati essent, qui circa decimum septembris centum vexilla, à sed tiessis in Transylvania recuperata, Viennam primo, postea vero Pragam, Cæsari offerenda transmiserunt, qui ministrum illum, à quo Mosis Zeccleri, de cuius interitu sub finem præcedentis libri dictum est, equus phaleris argenteis mirum in modum exornatus ducebatur, per Comitem Furstenbergium torque aurea donari iussit. Anno 1603.

Eodem hoc tempore Georgius Basta, cum prope Millebacum hactenus conse-

Anno 1603. consedisset, solutis castris Lippam versus contendit, ut coniunctis cum Vaida Valachiæ viribus, Temesvariam obsidione cingeret, cumq; ex immoderato pomorum omnis generis usu, lues dysenteriæ exercitum corripuisset, ut non pauci ea perire viderentur, nihil istorum castris importari amplius voluit, contra vero Claudiopoli & Hermestadio civitatibus serio iniunxit, ut si iram Cæsaris evitare gravissimā vellent, de commeatu necessario castris importando, curam maturè susciperēt. Ne quid autem gravarentur, permissum ipsis est, ut adhibitis in consilium oppidis pleriſq; aliis, quæ per seditionē rebellare hactenus visa essent, conquirerent undecunque quod necessarium esset. Itaque militibus de commeatu & alimentis necessariis tum satis prospectum. Sed & Iesuitas, Claudiopoli non ita pridem ejectos, Basta iterum restituens, per Senatorem nudato capite, binos & binos, ad desolatum istum locum, ubi templum antea & collegium suum habuerant, & autores etiam seditionis

tionis laqueo ſuffocati cernebantur. Anno deduci iuſſit, utque religionis rurſus & pieratis exercitiis vacare eo commodius poſſent, Arianorum ipſis ædificatum ſplendidum ſatis & ſpatioſum cũ templo cathedrali tributa ſunt. 1603.

Parari hac æſtate Sultanus claſſem triginta triremium iuſſerat, quam Feſſano Regi obiicerat, Ea mari iam tandẽ commiſſa, fortunam & ventum adeo experta eſt aduerſum, ut cum ingenti damno domum redire re infecta cogeretur, Cum autem & naues aliquot ablegaſſet, quæ mare nigrum iuxta Tauricam Cherſoneſum, quod paludem Mæotidem vocant, à ſeditioſorum Aſiaticorum excurſionibus vindicarent, rapina Perſis factæ ſunt, illi enim navibus ſuis advolantes, eas diripuerunt & ita exceperunt, ut paucis elabi, poſt acceptum haud vulgare damnum, permitteretur. Seditioſorum quidem præfectus aliquis in Hungariam cum manu haud exigua hac æſtate cõceſſit, ſed cum Dux & Autor eorum verus atque primarius, retentis, ut ſupra in libro dictum

Sultanus fortunã vbique experitur aduerſam.

Anno 1603.

tum est, triremibus, quarum beneficio mare traicere debuerat, omnem quem in eis invenerat Sultanicum militem, trucidarit, an ipsemet ex Asia egressus sit, non immerito dubitatur, præsertim cum seditionis istius in Asia ignis non modo non extinctus, sed nuper etiam veris ardere flammis visus sit, Assane Bassa Baldacensi eum resuscitante & renovante, Cum enim eo remoto, Sultanus alium quendam isti regioni gubernatorem præfeciſſet, & vero Assan Bassa ei cedere nollet, ad arma tandem ventum est, præsertim cum millies millia in bonis se habere, & populum sibi admodum favere cerneret.

Seditio in Asia augetur.

Licet autem post editam ab utraque parte stragem non exiguam, cedere tandem cogeretur, nullo tamen modo cessavit, quin reparatis statim viribus, iam longe lateque omnia infesta redderet, & Sultano damnum quotidie maximum inferret. Hocipsum vero & Persarum Rex facere summis

Tauris iā à Persis concutitur.

mis adnixus est viribus, qui Tauri- Anno
sium nuper obsidione firmissima cin- 1603.
ctum, tormentis æneis ex Lusitania acquisitis, concutere cœpit, non cessaturus donec potentiam Sultanicam fractam & imminutam cernat. In tantis autem angustiis & difficultatibus, cum successu parum felici se iam uti, & fortunam longe antecessorum suorum sorte inferiorem experiri Sultanus cerneret, feriasesuriales & precatorias, per uniuersum suum regnum indixit, duosque Sacerdotes Mecham ubi Mahometis reliquiæ asservantur, nudis pedibus, successum prosperiorem à Deo suo exoratum dimisit.

Obsidionis ad Sylvamducis continuatio.

De obsidione qua Sylvamducis Mauritius 19. Augusti cinxit, sub finem præcedentis libri dictum est, annotatis simul Hispanorum conatibus, quibus eam sublevaturi, satis mature præsto fuerunt, Cæterum cum loco satis opportuno Hispani castra sua locassent, seque validissimo propugnaculo summa dexteritate inter por-

Anno 1603. portam S. Iohannis & Fuchtenſem cõmuniuiſſent, Mauritius vi ſumma illud aggreſſus, feliciter tandem, ſecundo ſeptembris die expugnauit, ducentis Hiſpanis, præter trucidatos quãplurimos, vivis comprehenſis, Afferebatur hoc ipſo tempore ad Mauritium ex Oſtenda nuncius, de ſævitia Hiſpanorum, qua in ægrotos quoſdam ex Oſtenda dimiſſos milites, uſi fuerant, cum enim forte navem, qua vulnerati & ægroti iſti vehebantur, intercepiſſent, duodecim ex eis in crucem actos laqueo ſuffocarunt, itaque ut par pari referret, complicatas 200. chartulas, quarum duodecim patibulo inſignitæ eſſent, reliquis omnibus puris exiſtentibus, in pileo permixtas, captivis exhibens, ut ſinguli fortunam ſuam una earum apprehenſa, experirentur iuſſit, hac proteſtatione addita, eum qui chartam cruce ſignatam caperet, ſine mora ſtatim in crucem actum iri, quod etiam factum eſt, duodecimo tamen diligenti multorum interceſſione ſupplicio iſti erepto.

Hiſpani quidam per Mauritium ſuſpenſi.

Cæterum cum civitas hæc ſui iuris eſſet,

esset, & Hispani id sedulo agerent, ut eam potestati suæ subiectam facerent, non semel ut reciperentur in urbem ef flagitarunt, sed denegatum hoc ipsis initio constanter fuit, civibus sufficere sese civitati defendendæ referentibus, & ut hosti propulsando studerent Hispanos monentibus. Interim tamen per diem subinde aliquot intromiserunt, sed qui sub noctem ad portam numerati rursus emitterentur, cumq; nihil commeatus castris Hispanorum inferri posset, seditiosis transitum nõ modo denegantibus, sed omnia etiam intercipientibus, quemadmodum aliquando 400 currus cum 300. peditibus Helmonto dimissos exceperant, & naves tres panibus onustas, Antuerp ã, unde solverant, redire fecerant, itaque ne cogerentur solutis castris urbem deserere, de necessario commeatu ex civitate ipsis bene longo tempore prospectum est. Cæterum cum precibus uti admitterentur in urbem obtinere Hispani non possent, iam ad insidias & fraudes animum applicarunt, Currus

Anno 1603. *Hispani Sylvamducis sibi subiicere conantur*

Anno 1603. enim aliquot militibus clam oneratos & stramine contectos, in urbem egerunt, suppellectilem variam apud amicos deponendam sese afferre simulantes, At fraude à civibus mature cognita, pars militum istorũ cæsi, pars in carcerẽ coniecti sunt. Interea firmatis undique propugnaculis frequenti tormẽtorum displosione cives terrere fossasq; ad urbẽ magis magisq; producere Mauritius non cessavit, sed & ablegato in civitatem tubicine, ne Hispanos in urbẽ admitterent, cives sedulo admonuit, ædificiorũ eis omnium desolationẽ & exinanitionẽ secus si faxint interminatus, octuaginta tormentis æneis in civitatẽ hoc fine directis. At Hispani tamen spe civitatis obtinẽdæ nihilominus magna tenebãtur, cumq; Antuerpiã quosdam ex ea missos esse cognoscerẽt, qui expositis quibus à Mauritio urgerentur angustiis, Archiducem rogarent, ut præsentem sese Hispanis sistens, castra rectius disponeret, iam Archiducis adventu voti sui compotes fieri omnino sibi persuadebant. At ille re cum Ordinibus

nibus Brabantiæ deliberata, 11. Sept. Antuerpia digressus, Bruxellas cõcessit. Anno 1603.

Interea Fridericus comes Vandẽbergius de Gravia per insidias recuperanda cogitationem suscipiens, cũ quibusdã præsidiariis militibus clam agere cœpit, ut Hispanos aliquot ad se reciperẽt, qui intromissi, parum abfuit, quin porta civitatis una potiti, proditionis nõ expectatæ autores fuissent. Sed re maturius aliquanto patefacta, Hispani isti cũ præsidiariis qui proditionis huius conscii fuerant in vincula cõiecti sunt. Ad Ordines vero confœderatos, cũ delatum esset, multum cõmeatus ex Hollandia, Rhenũ ascendendo, dimissum & in itinere navibus clam exoneratis Sylvamducis translatum esse, nautas Rhenum permeantes, mediante iuramento de bonis quæ veherent examinari, iisq; serio imponi, ut nullibi peregrinorũ locorum nisi Coloniæ, exoneratis navibus bona sua deponerent, modis omnibus curarunt.

Proditio in Gravia detecta.

Marchio Malaspinus à seditiosis captus.

Seditiosi quomodo ad Mauritiũ cõcesserint, viridis coloris signis atq; vexil-

Anno 1603. xillis seſe ab aliis Mauritii militibus discernentes, ſuperiori libro dictum eſt, Cum autem præfectum à Mauritio Olivierem Tempelium, Dominum in Corbeck accepiſſent, obſidionem Sylvæducis non parum iuvare viſi ſunt; in pago Vlimenſi, qua commeatus in caſtra Mauritii inferendus tranſire cogebatur, conſidentes. Accidit autem ſub initium Octobris, ut Marchio Malaſpinius, qui ſemel atque iterum ex Hiſpanorum caſtris ad Albertum ire & redire viſus fuerat, ab ipſis tandem comprehenderetur. Hunc igitur Mauritius comiter exceptum, in prandio menſæ ſuę admovit, cumque varia cum eo locutus eſſet, Tempelio ſeditioſorum præfecto in mandatis poſtmodum dedit, ut cum Malaſpinio egreſſus, ſtatum caſtrorum ſuorum, & omnem commoditatem ſuam ei monſtraret. At infelici uterque ſidere egreſſi, cum ad civitatem plus iuſto appropinquare viderentur, globo ex muris tormentario percuſſi ſunt, ita ut abreptis plane cruribus poſt horam unam atque alteram

Tem-

Tempelius quidem extingueretur, Malaspinio autem crus alterum collisum, genu tenus abscindi necesse esset. Anno 1603.

Frater Spinola cum imperio in castra ad Ostendã mittitur.

De Friderico Spinola infeliciter pugnando occumbente superiori libro dictum est, Eius fratrem Archidux Mediolanum ablegaverat, ut ibi & per universam Italiam exercitum pro expugnanda Ostenda colligeret, verum is de morte fratris sui certior factus, relictis rebus omnibus, equum veredum conscendens, opinione celerius Bruxellas advolat, salutatoq; ibi Archiduce, ad portum statim Slusensem indeq; Ostendam contendit, mortem fratris sui pro virili ulturus. Studium hoc Archiduci mirifice probatum est, cumq; de Ostenda brevi tempore expugnanda, spem omnibus facere videretur, impetravit facile, ut cum imperio in castra ad Ostendam mitteretur.

Archidux in castra ad Sylvamducis venit.

Constitutis autem Bruxellis, & dispositis rebus omnibus, cum præsentiã suam non Hispanos solum in castris ad Sylvamducis, unice desiderare, sed & cives expetere & expectare quotidie Ar-

Anno 1603. chidux nosset, satisfaciendum tandem expectationi & votis eorum ratus, relictis Bruxellis, 5. Oct in castra venit, magna ab Hispanis lætitia & exultatione exceptus, qui in spem statim certissimam erigebantur, fore ut autoritate eius in urbem admissi, quod dudum exoptaverant, tandem obtinerent. Nec etiam spe sua omnino frustrati sunt, septimo enim statim die circiter horam quintam vespertinam cum ministris suis aulicis, urbem eques ingressus est, recipientibus eum magno cum triumpho Senatoribus, & claves urbis ipsi submisse exhibentibus, quas acceptatas magistratui paulo post reddidit, non venisse sese ut oneri ipsis esset, sed ut priuilegia ipsorum vetera confirmaret & tueretur palam professus. Mauritio ingressus iste non parum doluit, itaque facilitate hac Sylvæducen sũ in admittendo Archiduce exacerbatus, tormentorum per biduum integrum continuata displosione, civitatẽ petere, & terrorẽ civibus haud exiguum incutere cœpit, sed & aquas coacervari & moltẽdina quædã aquatica parari iussit, quib.

si pluvię forsitan exorirētur in Hispano rū eās castra propellere atq; ita militib. ea evacuare posset. Hispani porro his neglectis omnibus, obtinuerunt tandē 14. Octob. ut de consensu magistratus 6000. milites per civitatē, quasi hostē ab altera parte profligaturi, traducerētur, At illi hoc modo intromissi, eiici amplius non poterant, civitatem suo prorsus imperio subiicientes. Anno 1603.

Hispani à Sylvaducensibus in urbem admissi.

His ita Hispanis ex animi sententia succedentibus, Gallorū quorundam in castris Mauritii militantiū, animos tentare cœperunt, ad castra cōfœderatorū viam affectantes, cum vero seditiosorū vires reformidarent maxime, reprimēdas eas omniū primo, postea vero reliquis confœderatorum castris insultandum putarunt. At vero à seditiosis ita excepti sunt, ut post stragem haud modicā pedem retrahere cogerentur, sed & Mauritius de proditione ista tempestive admonitus, Gallis aliquot eius nimirum Autoribus in vincula cōiectis, subpræfectum eorum sua manu trucidavit. Exorta est paulo post ingēs in castris

In castris Mauritii ad Sylvamducis proditio.

Anno 1603 stris tempestas ita ut in portu Antuerpiensi 16. naves perirent, & Hispani de castris suis ni intra biduum ea cessaret, solvendis deliberationem iam susciperent, quod impossibile videretur propter aquarum inundationem diutius ibi persistere, confœderati certe milites tentoria sua asseribus contexerant, unde hibernare ibi velle Hispanis videbantur, præsertim cum non ita pridem etiam 3000. ex Anglis & Scotis permisti milites in Selandiam appulisse audirentur, & præsidiariis ex civitatibus passim in castra dimissis, cives ipsimet custodiendis civitatibus iam studere viderentur.

Mauritius obsidionem ad Sylvãducum solvit.

At vero Mauritius cum Archiducis adventu Hispanos non solum in civitatem admissos esse sed etiam in castris omnia ita disposita videret, ut perdurare & obsidionem per hyemem commodè satis tolerare utrinq; & cives & Hispani milites possent, præsertim cum tria propugnacula & munitiones alias pro commeatu rite civitati inferendo necessarias excitassent, con-

consultum non putavit fortunam in- Anno
am & dubiam belli aleam in oppugnā- 1603.
da tam florente tamq; munitionibus & præsidiis firmata urbe diutius experiri, cum nimirum & hyems præ foribus esset, ut milites iam in castris propter aeris inclementiam sese continere diutius non possent. Itaque octavo Novembris soluta obsidione & munitionibus relictis omnibus, copias ad hiberna reducturus abiit. Viso hoc discessu Hispani, ingenti lætitia perfusi, exultabant admodum & lætabantur, se hac ratione, civitatis istius Dominos factos esse, Itaque in salutem & valetudinē Mauritii scyphos aliquot & pocula evacuantes, gratias ipsi agebant maximas, quod obsidione hac effeciisset, ut suo satisfieret, desiderio, quod quidem explere, hac sine si fuisset, ipsis vix unquam licuisset. Ne autem hoc momētaneum gauderent gaudium, & ut civitatem in potestate sua retinerent, pro ea obtinenda castellum ibi primo quoque tempore moliri decreverunt.

Cæterum durante hac obsidione

Anno 1603. castra ad Ostendam admodū debilitata sunt, Hispanis in hac defendenda civitate iam occupatis, itaq; ne quid forte castra illa periclitarētur, pleriq; Hispanorū militū eo destinati & missi sunt. Habebāt vero tum in castris Ostendanis, Italum quendā nomine Pompeiū, quē ob ingenii felicitatē, qua in instrumentorū & stratagematum bellicorū inventione valet admodū, ingeniosum nominār, hic machinas pro opplendo fluvio quem Geulā vocant, & transitu naviū impediendo interim varias excogitatas & cū ingenti sumptu paratas obstruendo & constipando iam fluvio admovit, Verū Ostendani oneratis statim tormentis aliquot, disruptas eas & particulatim disiectas fluctibus avehendas exposuerūt, glande simul plumbea per alterū artificis ipsius humerū proiecta.

Hispani praeludēdo ad Ostendam transitu frustra student.

Mauritius porro de triumpho Hispanorū ob solutā ad Sylvam ducis obsidionem exultantiū certior factus, ut præsentiæ suæ vestigia saltem quædā relinqueret, constituto in finitimis oppidis firmissimo præsidio, Colonis omnibus qui

Gratia seditiosis à Mauritio traditur.

quí passim in pagis habitāt sub capitali pœna serio interdixit, ne quid rerum ad usus quotidianos necessariarum Sylvamducis inferrēt, aut civitatem istam quoquo modo iuvarent. Hinc igitur civitatem in tantas difficultates & angustias coniecit, quantas durante obsidione antea non perceperat, cum lignorum præsertim ingens in ea penuria deprehenderetur, & vero seditiosi in Graviam introducti essent, ut propter loci vicinitatem Sylvæducensibus eo infestiores existerent, observatisque itineribus omnibus, ne quid cōmeatus in urbem deportaretur, sedulo caverēt, Hæc.n. potissimum causa fuit, cur facta permutatione, Hostra: ā Mauritius acceperit, & seditiosis Graviā tradiderit, excitatis tamē primū ex oppositoeius, duob. propugnaculis firmissimis, iisq; præsidio ex confœderatorū ordinū militibus fortissimo, quo si deficere forte seditiosi & proditionē moliri vellent, deterriti in fide cōtinerentur, firmatis. Anno 1603.

Gravia seditiosis cur tradita.

Amurathes Roysius pirata Turcicus, mare mediterraneum hoc tempore depo-

Anno 1603. depopulationibus ſuis haud parum infeſtum reddidit, inter alia autem navē quandam Belgicam tríremibus ſuis aggreſſus, adeo oppugnavit, ut evadere captivitatem niſi extrema quæque tentans non potuerit. Deſperatis igitur rebus omnibus, cum nec elabendi daretur occaſio, nec vero etiam continere ſeſe & impetum iſtum ſuſtinere diutius, qui in navi erant, poſſent, conieſtō in pulverem tormentarium igne, ſeipſos & navem in auras diſſiparunt, non ſine inſigni etiam triremium piraticarum detrimento, quod cum deinde reparaturus Amurathes in locum tutiorem concedere vellet, in triremes Toſcanicas ex Thuſcia Italiæ provincia, quam aliàs Hetruriā dicunt, egreſſas, incidit. Hæ magno in eum impetu delatæ, poſt pugnam navalem ſatis cruentam, palmam tandem obtinuerunt, profligatoque Amurathe aliquot eius triremes ampliſſimis ſpoliis onuſtas occuparunt.

Navis quadam Belgica á Turcis ſuperata.

Propter hanc maris infeſtationem legatus Perſicus, qui Venetis aliquandiu

diu commoratus, tria ingentis precii κειμήλια Regi suo offerēda, à Ducatu isto dono acceperat, admonitus est, ne domum reversurus, ad fines Ottomannicas nimium appropinquaret, quod captivitatis periculum aliàs evitare vix posset. Eodem vero tempore & Navis Venetiana, cui nomen Lombardo esse dicitur, ex Cypro Insula reversa, cōprehensam navem quandam Anglicā pyraticam, Venetias secum abducere conata est, Verum cum in itinere navem Anglicam aliam obviam forte haberet, & ab eius navarcho rogaretur, uti captiuis quos haberet Anglis, semel saltem cibum capere secum permitteret, mirabiliter captivitatem navis ista evasit, cum enim petitioni huic Venetiani annuentes, quatuor ex captivis ad Navarchum dimissis, de reliquis parū solliciti essent, ipsi statim disruptis vinculis & tormentis displosis, in navim suam prosilientes aufugerunt.

Anno 1603.

Legatus Persicus de vitando periculo Venetiis monetur.

Casus aliquot tormentis bellicis ab Elect. Sax donatur.

Sub initium Septembris Christianus II. Saxoniæ Elector, duodecim tormenta ænea, cum omnibus ad ea necessa-

Anno 1603. ceſſariis, onuſtosque apparatu bellico currus ſex, Cæſari dono miſit, cui tormenta illa inprimis grata fuerũt, quod non ita pridem fuſa, elegantibus rythmis, & imagine Electoris ex ſolido auro fuſa, quam artificioſiſſimè exornata cõ ſpicerentur. Cæterum cum in proximis comitiis rei etiam monetariæ mentio, ut ſupra dictum eſt, facta fuerit, Electores Rhenani quatuor, Ioannes nimirũ Adamus Moguntinus, Lotharius Trevirenſis, Erneſtus Colonienſis, & Fridericus Palatinus, coniunctis votis & ſententiis edictum publicarũt, quo ſperaſſe ſe quidem profitentur, fore, ut cũ de valore monetarum uſitato non mutando, & Cæſar ipſemet mãdata aliquoties dederit, & ſui etiam anteceſſores, ex benevolo erga ſubditos ſuos affectu, ne ſi ſubita valoris fieret immutatio damnum nimis magnum facerent, cõſtituerint, atque ſub pœna ſeveriſſimæ animadverſionis prohibuerint, ne in Ioachimicis quidem permutãdis ultra 20. in Philippicis vero & Rhenanis aureis, ultra 22. cum dimidio baccos aſcẽdere-

Electores Rhenani rei monetariæ corrigendæ ſtudens.

deretur, omnes eiuſmodi mandatis pa Anno
rerent & in moderatione hac, paternũ 1603.
benevolumq; ſuum erga ſubditos ſuos
affectum perſpicerent, attamen cũ res
ipſa loquatur, omnes etiam privatæ
conditionis homines, ſibi licentiam
hanc ſumere, ut pro lubitu ſuo precium
monetarum in horas ſingulas augeãt,
mutent atq; permutẽt, mãdata omnia
variè eludentes & pervertentes, unde
factum, ut non modo augmentationũ
iſtarum nullus iam finis ſit, ſed etiam
optima imperiali monera ex imperio
abducta & ablata ingens nobis adulte-
rinorum nummorum & lõge deterio-
ris ſortis monetarum aliãrum copia
obtrudatur, ſumma ſeſe neceſſitate cõ-
motos & adductos affirmant, conſtitu-
tionem hanc monetariam veterẽ reno
vare & omnibus iterũ proponere, præ-
ſertim cum & in Comitiis proximis,
Cæſareæ Maieſt. nomine omnibus im-
perii ordinibus iniunctum ſit, ut pro ſe
quilibet abrogãdo & reprimendo huic
incommodo ſtudeant. Velle igitur ſeſe
& ſeveriſſimè iniungere omnibus præ-
fectis

Anno 1623. fectis & subpræfectis suis, ut quam diligentissimè id intendant, ne quis vel civium & subditorum, vel aliorum cũ civibus contrahentium, in Ioachimicorum quidem imperialium vltra 20. in Philippicorum vero vltra 22. cum dimidio, & in aureorum Rhenanorum permutatione vltra 23. baccios ascendat & progrediatur, sub amissione pecuniæ, & pœna insuper alia utriq; contrahentium parti irroganda. Præterea cum reipsa deprehendant novos illos ex Hollandia & Belgio ad nos delatos aureos, qui Hungaricis æqui parantur, ex aureis Rhenanis cusos esse, qui propter hanc causam in Germania vix amplius iam conspiciantur, constituere sese & sub eadem pœna serio mandare, ut valor novorum quidem istorum aureorum ultra 28. veterum vero Hungaricorum, Hispanicorum & Saltzburgicorum aurcorum ultra 32. baccios à nemine extendatur. Et ut importãdis etiam vulgaribus improbisque monetis modus aliquis ponatur, velle sese, ut per nummos quidem solutionem facere,

ultra

ultra 25. florenos, in quocunque etiam maximo debito nemini permittatur, Tandem vero cum dolus, si qua in re alia, in monetaria certè frequentissimus sit, ne adulterato vel auro vel argento signato, incautis facile imponatur, curasse se testantur, monetæ cuiuscunque improbæ effigies denuo impressas omnium oculis exhibere, Rosas vero quas vocant nobiles Belgicas, & præsertim Mittelburgi nuper cusas, cum ultra tres florenos & unam quartam nõ valeant, & vero pro quinq; florenis hactenus incautis vulgo obtrusæ fuerint, plane sese reiectas & prohibitas velle, id quod publicis & sigillo suo munitis literis per universum Rheni tractum declararunt. Anno 1603.

Pestis per æstatem integram in Anglia, præsertim vero Londini grassata, stragem maximam edidit, Itaque cum finis eius nullus adhuc cerneretur, & vero Rex Iacobus à Christiano IV. Daniæ Rege cui affinitate iunctus est, splẽdida legatione, ut natum sibi nuper filium ex sacro fonte levaret, rogaretur, *Rex Angliæ in Scotiam proficiscitur.*

Anno 1603. ipse quidem, ablegato in Daniam, qui suo nomine pium hoc opus perficeret, Comite Rutlandio, in Scotiam cum coniuge sua concessit, ibidem donec pestis cessaret periculum commoraturus, ubi deinde aliquādiu in Anglia desideratus, ab Hispaniæ Rege legatus, Ioannes Taxius, cum precioſissimis muneribus & duodecim equis Hispanicis elegantissimis Regi dono offerendis, paulo post eius adventum appulit.

Sub initium Nov. Henricus IV. Galliæ Rex civitates Belgio finitimas, præsidiis equitum peditumq; selectissimis firmavit, missoq; ad Angliæ Regem legato Vitrio, pro obtinenda fœderis & inter Angliæ Galliæque Reges semper fuit, renovatione & confirmatione diligenter institit. Parisiis porro proditorem qui veneno Regem necare decreverat, publico iudicio condemnatum, equis in quatuor partes discerpi iussit. Viso vero Hispaniæ Regis de mercatoribus nuper impositio vectigali mandato, simile edictum promulgavit, quo cognita fratrum suorum, Regis nimirum

Gallia Rex 30. pro singulis centenis, Hispanus negotiatoribus imponit.

mirum Hiſpaniæ & Archiducis Flandriæ conſtitutione, qua non contenti telonio & portorio veteri & longo iam uſu recepto, ſubditis ſuis per Hiſpaniam & Flandriam paſſim mercaturam exercentibus, onus novum idque non leve impoſuerint, ut nimirum præter & ſupra vectigal uſitatum, pro ſingulis adhuc centenis, triginta perſolvant, perceptoq; rigore, quo portitores & telonarii conſtitutum hoc vectigal à ſuis extorqueant, aliter ſeſe facere non poſſe affirmat, quam ut ſpectata & ſervata tam lucri quam damni ex negotiationibus utrinque profluentis æqualitate, idem vectigal in ſuo etiam regno mercatoribus imponat, conſtituere igitur ſeſe, ut omnes Hiſpaniæ Regi & Archiduci Flandriæ ſubiecti, qui mercaturam in quibuſcunque Regni ſui civitatibus exerceant, idem etiã onus portantes, præter & ſupra veterem vectigalium ſummam, portorii nomine telonariis ſuis 30. pro ſingulis centenis fideliter & ſine vlla tergiverſatione perſolvãt, quæ quidẽ ſumma ẽt numerari debeat Anno 1603.

Anno 1603. de bonis omnibus, ex Gallia in loca prædicto Hiſpaniæ Regi & Archiduci ſubiecta terra marique vehendis, frumento tamen & vino exceptis, quæ ab hoc onere libera eſſe velit. Mandare itaque omnibus quibus teloniorum demandata cura & exactio eſt, ut vectigal hoc ab omnibus ſeveriſſimè exigentes nemini parcant, & ne quis ignorantiam edicti huius prætendere poſſit, illud per tubicinem in omnibus Regni ſui civitatibus publicari & proclamari faciant, Cæterum idem hoc onus de 30. pro centenis ſingulis portorii nomine ſolvendis, Rex etiam Angliæ omnibus per Hiſpaniam, Flandriam, Brabantiamque mercaturam exercentibus, impoſuit, iubens ut vel eandem ſummam, quam Hiſpanus conſtituiſſet, omnes vel in prædicta loca vel inde in Angliam cum bonis quibuscunque profecturi, perſolverent, vel à negotiationibus iſtis omnino abſtinerent, idque tamdiu donec Hiſpanus de rigore ſuo remittens, onere iſto Anglos iterum ſublevaret.

Anglia Rex idem vectigal requirit.

Ham-

Hamburgum Stormarsiæ metropolis est, à Iove Ammonio Veteribus nominatum, cuius statuam ibi Carolus Magnus deiecit. Peucerus in Chronicis dictum putat, quasi Gambrivium, à Gambriviis populis, qui ad ripam Albis boreçalem olim habitarunt. Ad eam sereniſſimus Christianus IV. Daniæ Rex una cum Regina Coniuge 20. Octob. cum 800. equis splendidiſſimè pro accipiendo fidelitatis iuramento advenit, cumque Archiepiscopus Bremensis, equos adducens 130. & Vdalricus, Episcopus Sverinensis, Regis frater, 70. equitibus stipatus, ei sese adiunxissent: Regina vero sorores Regis, Hedvigen Electoris Saxonici coniugem, cum 150. equis; Elisabetham, Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis coniugẽ, cum 120. & Augustam, Holsatiæ principem, cum 50. equis, secum haberet, & omnia ornatu regio splendidiſſimè condecorata cernerentur, civitatem ingressi, magno triumpho à civibus sunt excepti. Satellites habitu cæruleo & albo, Regẽ 500. partim præcedebant, partim vero

Anno 1603. *Dania Rex & Holsatiæ Dux iuramentũ fidelitatis ab Hãburgensibus accipiunt.*

Anno 1603. sequebantur, ad latera vero centum alii, holoserico rubro & panno attalico flavo indutiincedebant, spectaculum cunctis iucundum & delectabile præbentes. Secutus est postmodo Ioannes Adolphus, Dux Holsatiæ, & Norvegiæ hæres, cum 300. equis, præcipuam Holsatiæ nobilitatem in comitatu secum ducens. Præterea quinque Duces Luneburgici, cum 150. equis, itemque Comes Oldenburgicus cum 12. Comites Frislandicus & Schonenburgicus cũ 18. tres luniores Holsatiæ Principes & comitis Sonderburgici filii, cum 50. equis, qui omnes ingressum istum ab hora matutina nona, usq; ad secundam pomeridianam produxerunt & continuarunt, cœlo admodum sereno & pluviis quæ per dies aliquot duraverant, iam cessantibus, quod ipsum quidem ornatui, à corruptione, contaminatione & cœni insperſione vindicando conservandoque convenientissimum erat. Principes hæ personæ omnes, una cum legatione Moschovitica, quæ

quæ pridie eius diei advenerat, à Rege cæna lautissima sunt exceptæ. Proximè vero sequenti die Solis, qui 30. Octob. erat, finita concione, Rex una cum Ioanne-Adolpho Holsatiæ Duce, extemplo, conscensis equis ad curiam profecti, fidelitatis iuramentum ab universo Senatu, & 60. ad hanc rem selectis civibus, acceperunt, inde ad prādium, quod in aula regia splendidum satis & regale paratum erat, sese convertentes. Mensæ tum assidebant regiæ principesq; personæ 22. una cum legatis Moscicis, & prādio ab undecima meridiei ad duodecimā noctis continuato, postmodum ad quietem sese omnes cōposuerunt. Sequētibus Lunæ & Martis diebus, post regiā pro annuli apprehensione concertationem & decursionem, hastaludia instituta sunt, ubi Rex quidem ipsemet primas semper obtinens palmā una cum 40. poculis aureis & cētènis aliquot loachimicis reportavit. Mercurii die à ludis omnibus cessatū est, at sequenti Iovis, repetitis hastiludiis, Rex quidem cum omnium admi- Anno 1603.

Anno 1603. ratione ultra 40. haſtas confregit, cumque finis ludis hiſce omnibus impoſitus eſſet ſub veſperam Dux quidem Holſatiæ Senatum Hamburgenſem ſplendida cœna, at Rex ſequenti die Veneris regali plane prandio eundem exceperunt, & poſtmodo ſalutatis civibus inde rurſus abierunt.

Res in Hũgaria per Octob. geſtæ.

Dum vero hæc ibi aguntur, noſtri in Hungaria ex caſtris excurrentes, 11. Barbaros cum 113. equis & vexillis duobus comprehenderunt, ultra centum Turcis iuxta Adonium in Danubium præcipitatis, præterea ex Italis profugis, 80. recuperatos, maxima parte laqueo ſuffocarunt, Duce eorum ſecuri percuſſo, Sed & Bribega quidam Turcicus ad noſtros tranſiens, affirmavit tantam exercitus Turcici in conflictu proximo, quem in inſula Adonia factum ſupra diximus, imminutionem factam eſſe, ut de 6000. peditibus & 4000. equitibus qui in inſulam iſtam delati fuerãt, vix 1000. veſtitu & rebus omnibus exuti, ad caſtra Turcica redierint, cumque Ianitſari fere omnes perierint, Serdarẽ Baſſam

Bassam publica proclamatione omnibus denunciari iussisse, ut si qui in Ianitsarorum locum succedere vellent, nomina sua profiterentur, & stipendia Ianitsarorum acciperent. Hoc audito, ex communi militū græge, ultra 6000. numeratos esse, qui licet sclopos & gladios, arma nempe Ianitsarorum nondum haberent, pro Ianitsaris tamen stipendia facere voluerint, ut iam cum subitario & tumultuario isto milite, castra Turcorum ex 80000. fere iam constent; Sed plerosque tamen in luctu & mœrore esse ob parentum, fratrum & amicorum suorum in conflictu proximo factam iacturam, non parum dolentes, idque unicum cum vires Christianorum opinione sua maiores deprehenderint, agere iam, ut Budam commeatu necessario instructam, hac æstate ab obsidione vindicarent. Anno 1603. *Castra Turcica quomodo reparata.*

Audita hac relatione, Collonitsius octo tormenta ænea in insulam Adoniam transferri curavit, & continuis displosionibus non parū Turcis damni intulit, quin & cum 600. Heiduccis 11. *Collonitsii cum Turcis cōflictus.*

Anno 1603. Octobris navigia cõscendens ex insula ista traiecto Danubio, castra hostium versus, circa vesperam profectus est, cũque per noctem sese communivisset, & exorto sole hostibus iam cõspicuus fieret, ipsi quidẽ ex castris suis catervatim proruentes, magno impetu Heiduccos istos oppugnarunt. Quamvis autem viribus ipsorũ Collonitsius longe se inferiorẽ animadverteret, virũ tamen sese præbens, per horas fere duas cum ipsis acerrime pugnavit, adiutus nõ parum, tormentariorũ in prædicta insula constitutorum opera. Tandem vero cum Turcas ex castris accelerãtes magis magisq; sibi imminere videret & impetũ istum sustinere diutius non posset, relictis munitionib. ad naves properavit, quo viso hostes cum ingenti clamore progressi, 400. fermè Heiduccos trucidarunt, reliquis periculo sese eripientibus, & Collonitsiũ, qui captivitatẽ vix evaserat, ad naves secũ deportantibus. Ceciderant tum ex hostium parte non pauci, quemadmodum ex interfectorũ collectione, cui sequẽti adhuc die operam

ram dare cernebantur, iudicare noſtris difficile non erat. Munitiones a.iſtæ ab altera Danubii ripa hoſti non parũ noxiæ fuiſſent, ſi conſilio Collonitſii eventus reſpondiſſet, qp inde non parũ detrimenti caſtris ipſorũ inferri potuiſſet; ne igitur ſimile quid à noſtris denuo tentaretur, munitiones iuxta Danubiũ longo tractu excitarunt, & Ianitſarorũ præſidio firmarunt. Cum reliquis au.ẽ caſtris, mutato loco, ad propugnaculum Budenſe concedentes, integro biduo quieverunt, Cæterũ 21. & 22. Oct. multa tormentorũ diſploſione noſtris, qui cum caſtris ſuis è regione ſtatim conſederant, terrori admodum fuerunt, præſertim cum globi 24. librarũ, per Grammatophylacium, Herberſteinii item & aliorum tentoria proiicerentur, ut munitiones tẽtoriis obiicere neceſsũ eſſet. Anno 1603.

Interea Comes Sultzenſis cum mille aliquot militibus, navigiis hoſtium inſidiatus eſt, ſed hoſtib. mature nimis cognitus, re infecta ad ſtationem ſuam redire coactus eſt. At Trautmãſtorffius Stiriacos aliquot, copiis ſuis adiũgens, & à Comite Serinenſi, qui cũ 700. mili

Propugnacula duo ad pẽtem Lamaſcinorum à noſtris occupata.

Anno 1603. tibus se ei coniunxerat, adiutus, in pontem Lamascinorum, navibus constratum progressus est, qui, cum duobus utrinque fortissimis propugnaculis defenderetur, ipse quidem violentiori in alterum incurrens impetu, Turcas periculum mortis evitare cupiētes, absq; ulla reluctatione in alterum propugnaculū fugere coegit. Itaq; pedites nostri occupato propugnaculo, tria inde tormenta in pontem delata, oppugnando alteri propugnaculo adhibuerunt, ex quo Turcæ quidē per horas quinq; fortissimè sese defenderūt, donec vi summa à nostris conscensum occuparetur. Tunc enim trucidatis qui in eo reperiebantur 200. Turcis, & aliquot vivis examini reservatis, navalis pons iste, qui excursionibus Turcarum convenientissimus hactenus fuerat, solutus & distractus est, navibus igne exustis, & tormentis aliquot vulgaribus disruptis profundoq; fluminis immersis.

Equites præterea 60. ex Vespriniorū turma Sexartum versus excurrentes, in 50. equites Turcicos inciderūt, qui post exigu-

exiguam velitationē, in fugam ſeſe cō iicientes, exceptis 10. qui vivi comprehendebantur, elapſi ſunt. Ceſſerunt tamen noſtris equi 26. commeatu vario onuſti, quos ipſi in dictum propugnaculum deducere voluerant. Ex captivorum iſtorum relatione cognitum eſt, ſeditioſorum in Aſia præfectum à Sultanicis non ita pridem profligatum quidem; At ab alio quodam, qui iuxta Damaſcum populationibus ſtuderet, ſtatim rurſus ſublevatum & confirmatum eſſe, unde ipſorum copiæ, quadraginta millibus bellicoſiſſimis militibus iam maiores eſſent, Præterea Haſſanē Baſſam, inito cum Perſis fœdere, Sultano iam itidem repugnare, tantasque eſſe rebellantium vires, ut ſupprimi nullo modo poſſint, itaque, ſi unquam aliàs, iam certe occaſionem Chriſtianos patere, arces & regiones ſuas recuperandi, cum potentia Sultanica non parum debilitata, & vires regni Turcici fractæ admodum & attritæ eſſent; Non ignorare hoc Sultanum, itaque eum Vetzieri Baſſæ ſerio iniunxiſſe, ut paci cum

Anno 1603.

Turcorū aliquot captivorum relatio.

Sultanus paci cum Chriſtianis conſtituenda ſtudet.

Anno 1603. cum Christianis firmādæ modis omnibus studeret, qui quidē decreverit Murathem Bassam Budæ per hyemem futuram relinquere, eo fine, ut pax aliqua eius studio constituatur.

Lugatiū Georgio Bastæ traditur.

Eodem tempore Lugatium à Transylvanis Georgio Bastæ traditum est, cumq; is Belgradum versus speculatores quosdam emisisset, captivi aliquot ad ipsum deducti sunt, qui profitebantur, Vetzierem literas ad Giaferem Bassam dedisse, quibus ipsum monuisset ne periculum aliquod amplius subiret, sed Christianos tantum ab obsidione Temesuariensi prohiberet, quēadmodum ipse etiam Budā ab obsidione defendisset, spe certa fretus, pacis tractationem, quā Sultanus admodum urgeat, frustraneam omnino non futuram. Sed & perfidorū Valonum non pauci hactenus comprehensi & supplicio affecti sunt, quorum postremi, ultra 36. ex iis qui ad Pappam defecerant, amplius non supereſſe confessi sunt, qui quidem Temesvariæ sese iam continerent, quo nuper etiam 12000. Turcæ convenissent,

nissent, obsidionem à Basta huic arci intentatam prohibituri. Anno 1603.

Circa finem Octob. Rusvvurmius Nadastũ & Collonitsium cũ equitum peditumq; aliquot millibus, per pontẽ iuxta S. Andreæ Insulam navibus constratum, in Budensium agros dimisit, qui in 1500. Turcas incidentes, trucidatis non paucis, egregia spolia cum aliquot captivis abduxerunt. Ne autem hostibus præda fierent, triduo post universa Christianorũ castra per dictũ modo pontem in Budensium agros traducta, munitiones ex opposito hostiũ noctis beneficio egerũt, eo prorsus fine & proposito, ut aperto Marte cũ hostibus congressi aliquando pugnarent. *Rusvvurmius exercitum in agros Budensiũ traducit.*

Qua ratione Fridericus Dux Wirtenbergicus Anno 1592. ignoto habitu & vultu, una cum nobilibus aliquot sibi coniunctis, iter in Angliam fecerit, ex peculiari quodam hac de re conscripto, & de mandato Principis in lucẽ edito germanico libello cũctis notum esse arbitror, in quo quidẽ omnia q̃ notatu digna ipsi in itinere accidere, cũ p̃cipuis *Friderico Dux Wirtenbergicus insignia ordinis equestris quem à fascus cruruliibus vocant, accipit.*

Anno 1603. cipuis ciuitatibus, Gymnasiis, Academiis, ædificiis regiis & id genus monumentis aliis, ordine consignata recensentur, addita simul commemoratione, quomodo sereniſſimam Elisabetham Reginam convenerit, quam familiariter ab ea acceptus fuerit, quam amicè habitus, & quam clementer tota Anglia celeberrimi equestris ordinis, quem *de la Iartiere* à fasciis crurulibus vocant, insignibus donatus fuerit. Post mortem igitur Elisabethæ, cum sereniſſimus & potentiſſimus Scotorũ Rex Iacobus VI. ab ordinibus Angliæ in locum eius ascitus, 25, Iulii in Regem coronaretur, ipse quidem quo ab Elisabetha inchoatum fuerat perficiendum & confirmandum ratus, non solũ dictum modo Wirtembergicum Principem, ordinis huius, qui Regem ipsum caput agnoscit, equitem, post filium suum natu maiorem, Principem Wallesium, Reges item Galliæ & Daniæ, sereniſſimos potentiſſimosq; publice declaravit; sed & missa Stutgardiam insigni legatione, quam mense Novembri

susti-

sustinebat Robertus Spencer, eques & baro in Spencer & Wormeleiton, ornamenta & insignia huius ordinis ei clementissimè obtulit. Cæterum quibus ceremoniis collatio hæc peracta fuerit, paucis hic iam annotare, operæ preciu m putaui, ubi primo quidem ad ea, quæ in aula vel palatio equestri, ante concionem, deinde ad ea quæ in templo sub & finita concione, & tandem ad ea quæ in prandio facta sunt, attendendum lectori fuerit. Cum igitur legatus Stutgardiam adveniens, causam legationis suæ, principi aperuisset, Princeps sequenti statim die, præcepit, ut omnes qui tum ibi aderant, Comites, equites, nobiles & consiliarii reliqui, ad palatium equestre seu conclave Principis, congregati, adventum suum præstolarentur, quo adveniente, omnes simul palatium ingressi ad latus alterum concesserunt, Postea Legatus regius cũ Feciali & aliis quos secum habebat ingressus, de clementissima Regis sui erga Principem affectione & voluntate, orationem instituit, traditisque ei, qui Anno 1603.

Anno 1603. Principi à secretis est, literis, legationis suæ partes publica lectione, omnibus notas facere curavit. Hoc facto, prolatum ordinis huius habitum, tunicam nimirum ex holoserico violaceo satis longam & panno attalico albo suffultam, Principi induit, usus ad hanc rem opera nobilium aliquot Principis cubiculariorum. Principe sic vestito, omnes ad templum progressi sunt, tali quidem ordine: Principio duodecim tubicines trini & trini, æneatorem præcedebant, hos sequebatur præfectus Satellitum, satellites numero duodecim uno ordine ducens, Post eos Mareschallus baculum argenteum gestans, Atrii magister, Præfectus ærarii, Equorum magister & Tribunus armamentarii progrediebantur, Hos secuti, equestris ordinis nobiles aliquot trini & trini, & post eos Legato adiuncti nobiles Angli incedebant, Sequebantur porro Comites & proceres alii cum cubiculariis nobilibus, & Ioanne-Friderico, Ludovico-Friderico, Iulio Friderico, Achille-Friderico & Magno, Principis

cipis Wirtenbergici filiis. His ita præ- Anno
missis, Fecialis solus, focale, fasciam 1603.
crurulem & librum Ordinis huius leges atque statuta continentem, pulvinari ex holoserico rubro constante imposita Principi præferebat, Postea illustrissimus Princeps iuxta Legatum Regium incedebat, tunica prædicta talari indutus, quæ cum longo syrmate decora esset, ei sublevando Ludovicus Comes Lœvensteinius destinatus erat, Hunc deinde iudicio provinciali præfectus, Magister libellorum, nobiles & Consiliarii alii cum uniuersa turba aulica secuti sunt. Hoc modo templum ingressi, quod Musica suavissima personabat, quilibet ad locum suum sese contulerunt, inclinato prius capite Regiæ sedi, quæ ibi extructa cernebatur, honorem in transitu exhibentes. Deinde cum Princeps etiam sedem suam occupasset, Legatus cum feciali progressus, librum in quo leges & statuta Ordinis perscripta erant, ei porrexit, quem cum Princeps per Secretarium suum accepisset, & obtem-

Anno 1603. peraturum sese illis per eundem affirmasset, apprehẽsam crurulem fasciam, auro & gemmis precioſiſſimè contextam, ei circumdedit, & focale aureum à collo eius ſuſpendit. Hoc peracto, cũ inclinato verſus ſedem regiam capite, Regi quaſi præſenti honorem ſuum exhibuiſſent loca ſua quilibet occuparũt, concioni, quæ ex pſalm. 65. verſ. 13. habebatur, & precibus vacantes. Finitis precibus cum Muſica rurſus audiretur, Fecialis, ſtola ſerica rubra, & taffeto albo intus obducta ornatus, poſt præſtitũ Regi & Principi honorem, eum ad altare deduxit, cui cum aureos aliquot Hungaricos inter pauperes domeſticos diſtribuendos impoſuiſſet, & Regi honorem ſuum nutu & geſtu admodum decoro Princeps exhibuiſſet, ordine omnes quo venerant, templo egreſſi ſunt, ad palatium equeſtre Principem rurſus deducentes, unde legatus quidẽ & reliqui omnes digreſſi, ad locũ quiſque ſuum conceſſerunt, horam prandio deſtinatam expectantes. Cæterum in palatio Principis prædicto ſex menſæ ſa-

ſeparatæ cernebantur, prima oblonga paululum uno orbiculo & app. ſita ſella, Regi deſtinata erat, cui, apponendis & præguſtandis ferculis, fundenda aqua, deoſculandis manibus & genibus inflectendis æquè ac ſi præſens ipſe met adfuiſſet, honorifice admodum more Anglico, miniſtrabatur. Altera oblonga itidem ſed priore tamen paulo minor pro principe parata erat, qui cum nemo huius ordinis adeſſet eques alius, ſolus ei aſſidebat, & conſueto ſibi more miniſtrari curabat. Tertia menſa itidem oblonga pro legato inſtructa erat, qui itidem ei ſolus aſſidebat, Quarta aſſidentem ſibi Fecialem ſolum habebat. Ad quintam uxor Principis cum lunioribus Principibus, filiis nimirum ſupra dictis quinq;, & totidem filiabus accũbere videbantur. Sextam tandem gynæceum occupabat. At pro Comitibus, proceribus, nobilibusq; & Conſiliariis aliis, cœnacula parata erant alia. Peracto prandio Princeps ſalutato legato, in conclave ſuum ſe recepit, & inde ad Choreas progreſſus eſt, quibus Anno 1603.

Anno 1603. finitis, cum habitum mutasset, ad cœnam in palatio consueto comparuit, quæ quidem dispositis priori modo tabulis, pari quo prandium hilaritate peracta est.

De autore & origine huius equestris ordinis.

Cæterum qui originem & rationem huius Ordinis cognoscere desiderant, Polydorum Virgilium, qui ob commentarium de rerum inventoribus celeberrimus habetur, consulant, Sic enim is libro 19. Anglicanæ suæ historiæ hac de re scribit: Eduardus III. cum regnum possideret pacatissimum, & post sedatos motus varios, tranquillitate iam atque optata pace frueretur, ordinem hunc equestrem instituit Anno 1350. regni vero sui 24. qui progressu temporis ad tantam ascendit dignitatem, ut à potentissimis etiam Principibus Regibusque expeteretur. Equites præter 26. ordo hic nullos agnoscit, qui quidem numerus uno vel altero extincto, ab illis qui superstites sunt completur. Caput huius Ordinis vel primus, Angliæ semper Rex ipsemet, secundus vero filius eius natu maximus

ximus est, quem Principem Wallesi- Anno
um dicunt, dummodo aliquis adsit, 1603.
Hos sequuntur deinde Reges, & Principes Proceresque alii tam interni quam externi. Habitus & ornamenta Ordinis sunt, tunica talaris violacea, & fascia crurulis, auro, margaritis & gemmis infra sinistrum genu conspicua, quæ nomen quidem Ordini huic dedit, qui in honorem sancti Georgii, quem milites & heroes quique fortissimi, patronum semper agnovere, institutus est, unde dies etiam eius quotannis ipsis solennis habetur, & magna devotione memoria eius, in templo Windesorio, ubi arma eius suspensa, asservantur, ab ordinis huius sociis recolitur, qui sese postmodum finitis sacris, lautissimis epulis, & prandio præsentissimo recreant. Leges habent & statuta certa, quibus præcipuè ad auxilia mutua obligantur, & alius alium in necessitate deserere pugnamve pro eo detrectare, sub pœna infamiæ & ornamentorum omnium privatione prohibentur. Habent &

Anno 1603. Feciales in suo ordine, quorũ primus Rex armorum vocatur. Horum autem officium est, vel pacem, vel bellum, pro ut tempus fert, Regis nomine denunciare & proclamare; declaratis à Rege Principibus Comitibusq; arma & insignia offerre, & funeribus ipsorum ministrare. Quam vero causam Eduardus, huius ordinis instituendi habuerit, exactè quidem sciri non potest, cum Historici & Angl carum rerum scriptores certi hac de re nihil affirment; Plerunque autem ita referunt; Regem Eduardum visa forte fortunâ cruruli fascia, pedibus Reginæ coniugis clam delapsa eam humi levasse, cumque adstantibus quibusdam procerib. res ea risum moveret, respondisse; Non aberit longius tempus illud quo honor fasciæ huic satis magnus à vobis exhibebitur. Instituisse igitur paulo post ordinem hunc, addita tali detestatione: *Honi soit qui mal y pense*, confundatur, qui in deteriorem partem hæc accipit, Significare his verbis volens, proceres suos factum illud de quo dixi, aliter quam decebat,

cebat interpretatos fuisse. Originem hanc, inquit Polydorus, Scriptores Anglici reticere non debuissent, cum non desint quidem exempla earum rerum, quæ tenui exortæ principio, magnam, progressu temporis, admirationem invenerunt. Anno 1603.

Cæterum cum ultra 26. equites ordo hic non admittat, placet eorum qui iam hac dignitate gaudent, nomina, quemadmodum à Rege ipso post coronationem suam publice pronunciata sunt, hic assignare. Primus igitur est Rex ipsemet, secundus, Princeps Wallesius, Regis filius natu maximus. Tertium locum obtinet Rex Galliæ. Quartum, Rex Daniæ, Quintum Dux Wirtenbergicus. Reliqui sunt; Comes à Nottinghan, Comes ab Ormondt, Comes à Schrasbery, Comes à Northumberland: Dn. Schiefeldius, Dn. Hunsdonius, Dn. Henricus Lea: Comes à Derby: Princeps à Lenox: Comes à Max: Dn. Buckhorstius: Comes à Comberland: Comes de Worcester: Comes à Suffolck: Comes à Vonshere: *Nomina equitum huius ordinis.*

Anno 1603. Dn. Montioy: Comes à Sulex: Dn. Stropius: Dn. Burghleyus: Comes à Southampton: & Comes à Pembrock.

Confœderatorum milites Lutzenburgen. sib. & Iuliacensib. infesti.

Ducatum Lutzenburgicum confœderati ordines iam pridem parem cum aliis contributionem facere debere voluerunt, Cum igitur id Lutzenburgenses facere hactenus recusarint, afflictiones ab illis non exiguas perferre coacti sunt, Præterquam enim quod alias sæpe irruptionem in ditionem istam fecerint, iam etiam circa finem Octobris cum magno exercitu inde redire, & quadraginta captivos, inter quos Abbas quidem & præfectus fuerant, secum ducere visi sunt. Post solutam autem ad Sylvamducis obsidionem magno numero in ditionem Iuliacensem effusi, Colonos equis & rebus aliis despoliarunt. Cumque mercatores aliquot ex Italia venientes & Coloniam cum bonis preciosissimis petentes, de eorum præsentia certiores facti essent, atque ut periculum vitarent, ad arcem Gelenkerkam declinassent, confœderatorum statim milites eos insecuti, cũ in ar-

in arcem quidem irrumpere non poſſent, oppido arci contiguo, quod principem quidem Iuliacenſem Dominũ agnoſcit, direpto, Lutzenburgum porro contenderunt. Pars vero eorum ad Coloniam uſque progreſſi, ſtudioſos & alios ante portam ambulantes palliis exuerunt, pars item Tuitium venientes, cives ut ſibi miniſtrarent viſumma compulerunt, qui licet ipſis ſuperiores eſſent, metu tamen maioris incommodi, reſiſtere ipſis auſi non ſunt, præſertim cum ſub initium Decembris, tres turmæ confœderatorum equitum, iuniorem Lituaniæ Ducem ex Hollandia in Germaniam deducentes ibi etiam appulerint, qui per dies tres, cum non exiguo civium malo ibi ſubſiterunt. His autem inde vix digreſſis, adfuerunt ſtatim 300. alii, Tuitienſibus nihilo quam priores illi minus pernitioſi, Aperte enim quæſitũ ſeſe veniſſe, quod illi reliquiſſent profitebantur, & ſi quid poſt ſuum diſceſſum ſupereſſet, id in ſeditioſorum adventũ reſervandum, qui brevi etiam adfuturi eſſent,

Anno 1603.

Tuitium à confœderatorũ militibus premitur

Anno 1603. essent, dicebant. Interim vero dum hęc ibi fierent, Comitis Henrici equites traiecto Rheno, mercatorum quorundam Coloniam petentium bona occuparunt, & Hispani similiter ex Geldria, prope Wesaliam navibus quibusdam despoliatis, aliquot currus bonis omnis generis onustos avexerunt. Machinationes istæ utriusq; partis nefariæ Senatum Colonienſem commoverunt, ut constitutis denuo præsidiis, & excubiis adornatis novis, civitati suæ melius prospiceret, Revertebantur enim eodem tempore ex Limpurgensi territorio seditiosi milites, ubi, cum exiguam aliquot equorum paulo ante iacturam feciſſent, ut sese ulciscerentur, direpto & igne vastato uno atque altero pago, miseris modis incolas afflixerant, multis captivis secũ abductis,

Colonienſes excubias reparant.

Balæna ingens Antuerpiæ capitur.

Circa 13. Decembris balæna iuxta Antuerpiam in Scaldi oberrare visa est, cumque ad 17. usque ibi commoraretur, à præsidiariis tandem militibus glande percussa plumbea, expiravit, Longa erat pedum 24. & 12. pedum crassa,

craſſa, unde 300. florenis Brabanticis divendita eſt. Eodem tempore Anhaltinus Princeps Hagam venit, quo cum confœderati egiſſe dicuntur, ut bis mille equites Germanos adducens, auxilio ipſis mature adeſſet, cum nimirum conſcriptis etiam in Anglia quatuor millibus, tempeſtive iterum ad arma redire & bellū continuare decreverint. Anno 1603.

De rebus ad Oſtendam in Decemb. geſtis.

Ex Oſtenda menſe Decembri tormentarius quidam ad Hiſpanos deficiens, novum illud globorū ignitorum inventum, quo præterita æſtate tot Hiſpanorum propugnacula & planæ quas vocabant formæ accenſæ perierant, ipſis prodidit, converſoque in perniciē civitatis hoc invento, in propugnaculo quodam incendium ſubito excitavit, quod cum præſidiarii milites magno fervore extinctum properarent, ab Hiſpanorum tormentis non parum damni perpeſſi ſunt. Quamvis autem ingenti conatu circa portum Oſtendanis præcludendum Hiſpani hactenus laboraverant, omnis tamen labor iſte irritus fuit, Nam & quotidie naves ſine ullo

Anno 1603. ullo impedimēto tam accedere quam recedere poſſunt, & licet ingenioſus ille Italus novum rurſus inſtrumentum 72. paſſus longum, magnis ſumptibus Geulæ immergeret, illudque multa terra aggravatum, per noctem & diem integram immotum ſupereſſet, tormentis tamen quibus aſſiduè concutiebatur, & fluctuum marinorum viribus reſiſtere diutius non valens, elevatum tandem & maris vorticibus abſorptum eſt. Cæterum novus etiam hoc tempore Gubernator ab Ordinibus Oſtendam miſſus eſt, Chiſtellius nempe, avocato qui militib. hactenus præfuerat Nootio, qui 23. Decembris navem conſcendens, media luce inde diſceſſit. Cum autem in parte ſeptentrionali machinam aliquam portui obſtruendo convenientem ita direxiſſent Hiſpani, ut vallum Porquepick Oſtendanis dictum reſpiceret, & vero adverſus fluctuum violentiam, quæ ibi non uſq; adeo ut Geula, fervens eſt, machina iſta conſiſtere poſſe videretur, milites quidam igne eam accenſuri,

Novus Gubernator in Oſtendam mittitur.

furi, circa finem Decembris Oſtenda egreſſi ſunt, ſed irrito tamen conatu pedem retrahere mox cogebantur, aliquibus poſt ſe relictis. Anno 1603.

Spinola de Oſtenda brevi expugnãda ſpem concipit.

Animos hoc ipſum Hiſpanis addidit, & bonam in eis ſpem excitavit, fore ut brevi portus civitati præcluderetur. Verum cum poſtmodo nihil ſe iſto opere proficere poſſe viderent, Geula nimirum adhuc libero exiſtente, paulo poſt ipſimet machina inde remota, prædictum iſtum portum aperuerunt. Quamvis autem fluctus in Geula obſtructionem nullam admitterent, Spinola tamen de expugnanda civitate nequaquam deſperans negle-ctis iam eiuſmodi inſtrumentis ponderoſis, pontes adhibendos cenſuit, non parum illis parandis ſumptuum impendens. Interim omnibus in caſtris quam rectiſſimè diſpoſitis, cum Ordines in Flandria pro obſidione hac continuanda ingentem adhuc pecuniæ ſummam contribuere ſeſe velle pollicerẽtur, propugnacula nova quinque, unde impetus in civitatẽ ſummo cona-

Anno 1603. conatu fieret, excitari curavit, ſpe certa fretus victoriam ſeſe brevi reportaturum, qua conſecuta plenariam ſe militibus ſolutionem facturum, eoſque inſigni ornatos teſtimonio, quocunque vellent dimiſſurum promiſit.

Tormenta lignea Gandavi parata.

Porro Neoporti, Brugis, Gandavi & aliis in locis, varia hactenus pro obſidione hac eo felicius citiusque finienda inſtrumenta excogitata & machinæ bellicæ mirabili artificio inventæ ſunt quamplurimæ. Inter alia enim & tormenta lignea ibi parata ſunt, quæ Orgyam unam longa & tenuiſſimis laminis ferreis obducta, à quolibet milite ad locum deſideratũ deportari facile poſſint, ſed quæ tamen clavis ferreis, capita plana utrinque habentibus onerata, non niſi binas ad ſummum diſplosiones ſuſtineant. Vrgetur certe obſidio hæc magno conatu, nec dum eius finis aliquis apparet, Cum præſertim Archidux civitatem iſtam expugnare propoſitum ſibi omnino habeat. Sic enim cum in Senatu militari, nuper forte quæſiviſſet, quamdiu Parmenſis

Ant-

Antuerpiam superioribus annis obsedisset, & per octodecim fere menses obsidionem istam durasse, ipsi responderetur; Non sunt hi, inquit, octodecim anni, quibus licet continuanda mihi Ostendana hæc esset obsidio, diuturnitate tamen ista nequicquam fractus eam solvero, donec potestati meæ civitas tradatur, cuius expugnationi vel quicquid Regi Catholico paret impedere certum est. Cæterum pro expugnatione hac & felici etiam in rebus bellicis successu, vota à multis passim suscipiuntur, Nam & Archiducis coniunx, Infans Hispaniæ, nudis pedibus, cum summa devotione per duo miliaria Tinas nuper ire, & coram inventa non ita pridem sanctissimæ matris Christi effigie, preces pro hærede & victoria impetrandis ardentissimas fundere visa est, cum præsertim ad effigiē istam, quam Mariam querceam à quercu in qua reperta est, vocant, miracula fieri quotidie plurima dicantur. Anno 1603.

Effigies Mariæ miraculis clara.

Milites Hungarici cum in Budēsium agris trāiecto Danubio sese communi-

Vetzier Bassa solutis castris decedit.

G vissent,

Anno 1603. viſſent, & pugnam cum Turcis inire quam paratiſſimi eſſent, ipſi quidem intio ad manus venire, collatis ſignis pręliari cum noſtris velle, videbantur, præſertim cum præmiſſis equitum peditũque duob. fere millibus, velitari pugna vires ſuas, quinto Nov. experirentur, cum autem viderent velitationem iſtã ſolos Hungaros ſuſtinere, reliquos vero de mandato Ruſvvurmii, in ſtatione ſua ſeſe tranquille continentes, reſidui exercitus adventum avidè expectare, finito conflictu, in quo 50. ex noſtra parte ceciderant, pedem retrahentes, ad ſuos reverſi ſunt. Cum autem interea temporis non Budam ſolum, ſed & Albam Regalem & caſtella finitima alia, neceſſario alimentorum & munitionis commeatu firmaſſent, recentiq; milite & ſepimento inſuper ex palis & longuriis excitato, propugnaculum, ꝙ iuxta Budam eſt, muniviſſent, decimo tandem Nov. die receptui canēres, per ſilentium noctis abierunt, itinere ſuo Belgradum verſus directo.

Sequenti die, cum nimis ſero diſceſſus

teſſus hic noſtris innotuiſſet, & hoſtes perſequi inconſultum videretur, decretum ſtatim eſt, converſis ad propugnaculum aliquod viribus, fortunam experiri, Cumq; Hatua inprimis obſtare videretur, quo minus Peſtā transferri commeatus neceſſarii poſſent, communicatis ſtatim ſententiis, & ſuffragiis præfectorum omnium collectis, eam tentare & oppugnare viſum eſt. Præmiſſis igitur Comite Sultzenſi & Straſoldio una cum quatuor centuriis ſeu equitum turmis, initium oppugnationis factum eſt. Cum enim munitioni ad lunam obequitantes, eam luſtrarent, & locum ponendis tormentis convenientem diſquirerent, Turcis forte fortuna viſi ſunt, qui directo in eos tormento, Straſoldum interfecerunt. Statim igitur Sultzenſis adductis copiis clamorem ingentem excitat, at illi ad defendendum ſeſe parantes pulverem tormentarium plenis ſaccis adferunt, & tormentorum exploſionibus acriter noſtros reprimunt. Adveniens autem in ſequenti die

Anno 1603. *Hatua à noſtris oppugnata.*

Anno 1603. cum reliquo exercitu Ruſvvurmius paratis quæ ad oppugnationem neceſſaria videbantur omnibus, milites ad foſſas uſque locavit, ut aqua ex illis detracta, ad incurſionem quam maxime parati eſſent, quin & tormentis maioribus aliquot adductis concuſſionem munitionum fieri præcepit. Itaq; Turcæ viſo hoc conatu & ſtudio, animum dimittentes, deditionem noſtris obtulerunt, quam Ruſvvurmius quidem accepit hac interminatione addita, niſi deditionem ſua ſponte feciſſent, & expugnationem vi ſumma fieri neceſſe fuiſſet, fortunam ſe nihilo meliorem expectare debuiſſe, quam qualem ante annos ſeptẽ eſſent experti. Tum enim urbe armata manu cum ingenti planctu & eiulatu mulierum & liberorum expugnata, quatuor continuis horis in omnes cuiuſcunque ætatis, ſexus & cõditionis homines miſere ſævitum eſt, ita ut ne vagientibus quidem in cunis infantibus parceretur. Nimia enim erat tum Valonum immanitas atq; barbaries, qua & prægnantium mulierum ven-

ventres dissecabant ut fœtus in utero conspicerentur, & mulieribus nonnullis, virisq; cutē detrahebant, ut lora inde & cingula conficerētur. At Turcæ audita Rustvvurmii responsione, missis statim ex urbe tribus primariis Turcis, deditionem sese facturos pollicentur, si cum uxoribus liberisque & bonis quæ portare possent decedendi sibi copiam fieri viderent, cumq; potestatem istam obtinuissent 29. Novemb. 360. viri cū totidem fere mulieribus liberisq; urbe egressi sunt, quos nostri Solonocum usque deduxerunt. Inventum est in urbe commeatuum satis, inprimis autem tormentarii pulveris, centenarii quos vocant centum fere, & 24. tormenta rotis imposita, præterea ædes omnes hordeo & frumento alio copiosissimo abundabant, & pecudes in bene longū tempus sufficientes reperiebantur. Anno 1603. *Hatua per deditionem à nostris occupata.*

Egressi autem Turcæ affirmabant, mandatum sese à Vetziere accepisse, ut si forte oppugnarentur, per dies quatuor sublevationem & auxilia expectarent, quæ si nulla advenirent, deditio-

Anno nem postmodum facerent, cui qui-
1603. dem mandato etiam paruerint. Quod si tamen equitatus qui una cum Bega ad Vetzierem stipendia sua allatum concesserat, præsto fuisset, & ducenti illi qui quotidiè expectabantur, advenissent, non dubitare sese, quin insultationes Christianorum avertere, & impetum sustinere diutius potuerint. Cæterum deprehensum à nostris postea est, expugnationem huius civitatis armata manu ut ante annos septem fieri vix potuisse, præsertim si, quod propter hyemis præsentiam omnino metuendum erat, tempestates incidissent, hæ enim conatu nostrorum militum irrito facto, nostros ab expugnatione facile prohibuissent & excluisissent, præsertim cum fossæ tam profundæ essent, ut aqua illis detrahi vix posset, & vero nisi exsiccatis fossis incursionem facere impossibile omnino videretur. Itaque expugnatio hæc fortunæ potius, quam viribus militum imputanda videtur. Pro defendenda autem civitate Rusvvurmius ab una qua-

libet

libet centuria, ſignum unum peditum cum 200. equitibus Hungaris in eam introduxit, ipſe vero cum reliquis caſtris ad Peſtam conceſſit, eamque centuria Geisbergica, Romero & Friderico Collonitſio inde avocatis firmavit. Anno 1603.

Cæterum cum nocte ad Budam aliquot navigia hoſtilium, igne deformaſſent, tandem ad locum dimiſſioni deſtinatum profecti ſunt, ubi cum Althei-mici milites populationibus, & depræ-dationibus ſuis ingens Colonis damnum intuliſſe deprehenderentur & belli inſuper curatorem, dum ſtipendiorum ſolutioni dimiſſionique ſtuderet; contumelioſè appellare non verererentur, de mandato Cæſaris eorum 230. Widhofiæ comprehenſi, & Viennam captivi dimiſſi ſunt, ubi poſt dies deinde aliquot 34. capite luentes, in crucem acti perierunt. *Milites quidam ob petulantiam ſuam puniti.*

Circa 16. Novembris Georgius Baſta, qui circiter Lippam cum ſuis conſederat, de conatibus Begedes Baſſæ, cum tribus adhuc aliis & 5000. Turcis ad

Anno 1603. *Turcæ à nostris Variecæsi*

Bastam ex improviso opprimendum properãtis, certior factus, motis statim castris in occursum ei contendit, initaque pugna, ingentem stragem edidit, ita ut millibus fere trucidatis, cum fugã cæteri arriperent, in Marusa fluvio suffocati non pauci perierint, & 70. cum duobus Agis vivi comprehensi sint, præda haud vulgari acquisita. Sed & Budiani milites, numero 200. facta 19. Novemb. excursione, aliquot non infimæ sortis Turcas cum Bega Mohatsio trucidarunt, Begam vero Copanũ una cum filio suo & 24. Turcis aliis cõprehensum secum abduxerunt, equos simul 170. & 160. pecorum capita domum afferentes. Similiter & Tursonis copiæ Batsvvariam versus excurrentes, Agam eius loci in occursum sibi tendentem, cum suis trucidarunt, & 26. comprehensos cum tribus vexillis, domum reduxerunt. Cæterum 27. Nov. nuncius quidam ex Moldavia advolans, Tartaros ibi post datum non exiguum damnum, regione per Vaidam ejectos & profligatos esse retulit. At in-

Tran-

Transylvania interim omnia latrociniis infesta facta sunt, ita ut iter per regionem istam facere tutum minime esset, cum Valones ne popularibus quidem suis parcerent, sed circa finem Novembris in decem Valones alios Claudiopolim equis petentes, impetu facto omnes, unico excepto, qui misere vulneratus effugerat, trucidarent. Anno 1603.

In Anglia quidam ob coniurationem supplicio afficiuntur.

De proditione in Anglia, qua multi clarissimi & præstantissimi viri in necem & perniciem Regis coniuratunt, superiori libro dictum est; Ex captivis autem, qui propter hanc coniurationē comprehensi & custodiæ mancipati sunt, Georgius quidam Broccius, nobilis Anglus & duo sacrificuli ad mortem cōdemnati, capitis supplicio sunt affecti, de reliquis vero & præcipue quidem de Cobhamio, Grayo & Marckhamio, quid factum sit, subiectis ex literis Salisburia per virum quendam primarium datis, intelligere difficile non est, Sic autem ille: Ex literis tuis vir præstantissime perspexi, magno te desiderio causam protracti & in tempus aliud

Anno 1603. *Litera de iudicio in Cobhamium & alios.*

reiecti iudicii, quo Cobhamius, Grayus & Marckhamius supplicio afficiendi fuerant, cognoscendi teneri. Tametsi vero ego nullus dubitem, multos esse, qui negotii huius commemorationem prolixam satis & copiosam instituere & suis exornare figurarum floscu lis possint, bona tamen me spes habet, te ubi simplicem hanc relationem cognoveris, gratias mihi habiturum, qp veritati potius quam phaleratis verbis studens, rem uti gesta est, exponere tibi voluerim. Habito igitur Vincheſtræ, de coniuratis hisce iudicio, Rex convocatos consiliarios quosdam, qui iudicio interfuerant, sententiæ in eos dictæ summam sibi exponere & referre iussit, quod cum absque ulla tergiversatione liberè feciſſent, tam se constantem Rex & severum in verbis & gestibus præbuit, ut nemo quid hac de re futurum esset, coniicere aut præsentire ulla ratione potuerit. Rumores quidem interea & sermones varii in aula & alibi passim de exitu huius iudicii audiebantur, solus tamen Rex in animo

animo ſuo, qui quidem omnis gratiæ & intelligentiæ domicilium & ſedes eſt, deliberatum & conſtitutum habebat, quid hac in re faciendum, quid vero omittendum eſſet. Decreverat enim nemine id ſuadente, imo ne ſuſpicante quidem aliquo, executionem iudicii protrahere & impedire, eo ipſo tempore quo ſecuris ad radicem arboris poſita iam conſpiceretur. Interim autem ne quid huius per ſuſpicionem forte aliquam in mentem alicui veniret ſedulo admodum cavens, eo ipſo die quo Broccius ille & ſacrificuli duo ſecuri percuſſi fuerant, qui quidem quintus Decembris erat, tres literas ad iudiciorum præſidem exaratas, quibus ſententiæ in Cobhamium, Grayum & Marckamium dictæ executionem, ſequenti Veneris die, qui nonus Decembris erat, ſine ulla cunctatione facere iuberetur, propria ſua manu ſubſcripſit. Anno 1603.

Sublato igitur omnis ſuſpicionis metu, cum non ſolũ de iudicii executione nemo dubitaret, ſed & locus ſupplicio deſti-

Anno 1603. destinatus & omnia parata essent, Rex datis ad iudiciorum præfectum literis, omnia quæ superioribus scripta fuerāt, revocat, & quid porro fieri velit, declarat. Deinde de persona, quæ sine ulla suspicione hanc sustineret provinciā, sollicitus, Scotū quendā Ioan. Gibbium, probatæ fidei virum, cubicularium nēpe suum fidelissimum eligit, qui in Anglia quidem parum adhuc cognitus, suspicionem hac de re nulli movere poterat, Hic acceptis ex manu Regis circa vesperam eius quæ diem Veneris executioni deputatam proxime præcedebat diei, literis, amicis Salisburiam se iturum dicens, conscenso equo Vincheſtram proficiscitur, statimq; sequēti die ad arcem contendens, quam proximum sese cancellis applicat, ut non tantum quæ gererentur, sed & quæ dicerentur audire quam commodissime posset.

Hora igitur supplicio destinata, adducitur primo eques Griffinus Marckham, cumque is finita confessione & precibus, in genua procidens sese ad mor-

mortem paraſſet, intelligens Gibbius adeſſe iam tempus mandato Regis ſatisfaciendi, vocato ad ſeſe, dum ſpiculator parandæ ſecuri operam daret, iudiciorum præſidi Beniamini Tichbournio literas prædictas exhibet, voluntatem Regis aperit, rogatque ut in hac quam ſuſtineret provincia, fideli opera ſe iuvaret, Is vero cognito Regis mandato, ad Griffinum mox converſus, concedendum tibi adhuc ſemel eſt, inquit, in palatium, ut coram uno atq; altero de rebus quibuſdam interrogatus reſpondeas. Hoc igitur abducto & in palatio relicto, præſes quidem & Grayum allaturus pergit, Venerat is interea in theatrum, cumq; peractis precibus in genua procideret, ictum ſecuris expectaturus, ſurgere iuſſus ad Griffinum in palatium deducitur. Tandē & Cobhamio, cum finitis precibus præter mortem nihil iam expectaret, liberato & ad priores in palatium abducto, cum ſentiret iam præſes adeſſe tempus, quo inſperata Regis gratia toti mundo innoteſceret, omnes tres in theatrum ſecum Anno 1603.

Anno 1603. cum adducens, voluntatem Regis clementissimam omnibus aperit, & mandatum sese accepisse de iudicii executione protrahenda & in tempus aliud differenda, publice testatur.

Audita hac tam eximia tanti Regis benignitate & gratia, tam spectatores quam ipsi supplicio tũ erepti Rei in stuporem versi sunt. Nec dubium quidem mihi est, quin omnibus qui de ea quid vel audierint vel legerint mira admodum videatur, cum suavissimæ alicuius comœdiæ, simul & semel tanquam in clarissimo speculo incredibile insignis iusticiæ, & mirandum inauditæ clementiæ exemplum, oculis hominum spectandum exhibentis, speciem obtineat. Quare Cobhamius, sublatis in cœlum manibus, insperatam hanc Regis misericordiam & clementiam, quia delictum suum magis iam magisque augeretur, multis verbis prædicabat, confusionem precatus perpetuam omnibus, qui mali quid adversus tantum unquam cogitassent principem, utpote qui non modo causam offen-

offensionis nullam dedisset, sed & in ingratos non animadvertisset atrocius. Similiter vero & Grayus, reputans secum, quam clementer Rex bonum pro malo rependens, sese à morte conservasset, ut terrori esset omnibus qui arrogantia incensi, vinculum fidelitatis rupturi viderentur, profusis abunde lachrymis, publicè testabatur, nihil sese in votis iam magis habere, quam in delicti recompensationem, vitam suam pro vel minimi Regis digiti salute & conservatione ponere. Griffinus vero Marckham attonitus quasi & extra se raptus, stupebat, gratiam hanc magna cum admiratione & multis precibus in cœlum usque attollens. Sed & qui spectatum frequentes advenerãt, multo clamore & exultatione gaudium suum quod ex mirando hoc singularis clementiæ, tanti & tot virtutib. divinitus ornati Regis exemplo percepissent, satis testabantur, salutem simul Regi perpetuam precantes. Cæterum fama huius rei ad omnia statim loca finiti- Anno 1603.

Anno 1603. finitima emanauit; in eorum quidem, qui male affecti sunt, animis, exacerbationem & dolorem, in benè vero sentientium cordibus, amoris constantiam & perpetuitatem, in intermediis vero timorem peccandi & malè faciendi, at in omnibus passim, tantum erga Regem studium & affectionem excitans, ut impossibile videatur, superesse aliquem, qui aliquid in perniciem tanti Regis sit molitur us.

Sic igitur pro mea quidem virili voluntari & petitioni tuæ utcunq; satisfeci, cõmemorando præcipua huius totius negotii capita, de quibus quidem pleniorem discursum aliis relinquo, cũ certum omnino sit, simile exemplum, tantæ prudentiæ, moderationis & clementiæ cum manifesta iusticia coniunctæ, in veteribus quidem historiis vix reperiri, & Regem hunc beatissimum, non humano more, Regum & Principum aliorum, in simili casu exempla, sed more planè divino, cœlestis iudicis & æterni Regis vestigia secutum esse, unde etiam fructu procul dubio tanta pru-

ta prudentia & moderatione dignum perceptu rus est, honorem nimirum, amorem & timorem apud subditos sincerum, admirationem vero apud alios populos, & immortalitatem memoriæ apud posteros verissimam. Anno 1603.

Summa mandati Regii de conjuratorum supplicio prolongando

Cæterum mandati regii, de executione judicii in prædictos coniuratos facti protrahenda & differenda, summa hæc est, principio, licet non ignoret, ait, regna & imperia Resque publicas omnes, iure & iustitia conservari, & vero iam primarios quosdam & summo genere natos proceres, in iudicio legitimè condemnatos, pœnam conjurationis in Regni ipsius & suam personam directæ iustissimam, in terrorē aliis luere debere, attamē cum annum hunc Regni sui primum se agere consideret, sciatque, nullum ex antecessoribus suis Regem alium, subditis suis tantum debuisse, quantum ipse quidem universis & singulis ob gaudium illud singulare, quo adveniens ab omnibus sit exceptus, debeat, constituisse sese misericordiam iustitiæ permixtam in hoc

oppida passim & pagi, disiectis ædibus, arboribusq; terra erutis atq; prostratis damnum maximum fecerint. Mare vero ventis agitatum, adeo intumuit, ut ædificiis quibusdam, ubi mercatorum bona, pro quibus vectigalia nondũ soluta erant, deposita asservabantur, abreptis, vel vicies centena millia perierint; Hominum 800. pecorum vero 50000. fere capita, fluctib. maris suffocata, & 60. naves cum bonis variis, maxima parte dissipatæ & submersæ interierint. Hac tẽpestate decem naves Hollandicæ, Indiam Orientalem petituræ, cum ad fortunatas ferme insulas venissent, cursum vertere, & Pleimontum Angliæ, vires recuperatum, appellere coactæ sunt. Sed & alibi tempestas satis magna extitit, Dantisci enim sex naves non sine magno mercatorum damno periisse scribuntur, & navis quædam Hispanica, Hamburgum petens, cum maris periculum iam superasset, facto in Albi naufragio, cum bonis omnibus periit. Eodem vero tempore triremes Turcicæ septem ad Ge- Anno 1603.

Anno 1603. nuã oberrantes, latrociniis ſuis omnia infeſtarunt, comprehenſosque multos Chriſtianos ſecum abduxerunt. Contra vero Melitenſium triremes, in duas Barbaricas, Burſiam petentes, inciderunt, ex quibus, ut & piraticis aliis ad Rhodum inſulam comprehenſis, non parum ditatæ ſunt.

Vexilla quædam Turcica Viennam transmiſſa.

Sub initium Decembris Ruſvvurmius 64. vexilla Turcica, quæ per autumnum præteritum, in diverſis locis, maximè tamen in inſula Adonia ab hoſte obtinuerat, tympanis tubisque adhibitis, Viennam deferri, & Archiduci Matthiæ exhiberi curavit. At in Tranſylvania Georgius quidam Barbela, qui à Rebellantium hactenus fuerat partibus, cum 30. nobilibus Claudiopolim perveniens, Cæſari iuramentum fidelitatis præſtitit. Eo autem paulo poſt inopinata morte extincto, Baſſa præfectum quendam, cui Georgio Raetz nomen erat, cum parte exercitus Caranſeben miſit, qui Sebuſienſes rebelles, quorum magna pars eò confugerat, velut bruta pecora Sebuſium redire compulit. Cæ-

Cæterum quod ad Rebelles in Transylvania attinet, hi Ducem sibi quendam constituerunt nomine Betlinum Habor, qui misso ad Bastam nuncio, regionem sibi omnem tradi voluit, addita interminatione, se, nisi ultro eam cederet, armata manu statim recuperaturum, quo quidem etiam fine auxilia Turcica imploravit, relicta Mosis Zeccleri vidua matrimonio sibi iūcta, quæ tamen quarto post nuptialem solennitatem die mortem obiit. Quamvis autem Basta præcipua castella & propugnacula in Transylvania, germano milite firmata haberet, nihilominus tamen Crausseneccio ad Cæsarem ablegato, novas Germanorum copias, equitum quidem 1000. peditum vero 4000. conscribi & ad se primo quoque tempore in Transylvaniam mitti rogavit, addita hac protestatione, se cum exiguo isto quem secum haberet milite, propugnaculis defendendis & retinendis sufficere non posse, & nisi novo sublevetur exercitu, novam defectionē omnino metuendam esse, cum ne

Anno 1603. Sedition eorum in Transylvania Dux novus.

Anno 1603. Clauſeburgicis quidem, licet inermes plane eſſent, fidem habere propter defectionem antea tentatam, audeat. Porro eodem tempore Heiducci Lippenſes, per dies novem in finibus Turcicis oberrantes, multas pecudes cum Aga & internuncio quodam Turcico literas Temeſvariam à Vetziere portante, domum ſecum abduxerunt.

Turcæ ſeipſos oppugnant.

Qua ratione Sultanus ſeditioſorum in Aſia præfectum, ſpe obtinendæ Boſnæ evocarit, & ad caſtra ſua infra Budam poſita hac æſtate dimiſerit, ex primo libro notum eſt, quemadmodum etiam adveniſſe eum, & iacturam aliquot militum feciſſe, ſupra diximus. Cum autem Vetzier Baſſa ſolutis 10. Novembris die, caſtris deceſſiſſet, ipſe quidem, cui Zellalyo nomen eſſe dicunt, cum 3000. ſuis equitibus, quos adhuc ſuperſtites habebat, regionem ſibi promiſſam occupaturus, abiit. cumque à Bagnaluca non procul abeſſet, fixis in prato patenti tentoriis, caſtra metatus eſt, Baſſam ibi, qui regioni adhuc præerat, adventãtem præſto-

latu-

laturus, Is enim de adventu Zellalyi e- Anno
doctus, cum universis suis copiis in oc- 1603.
cursum ei contendit. At vero cum viribus suis diffideret, & amissis infra Budam quamplurimis, pugnando se inferiorem fore cerneret, excogitato statim stratagemate, passim in castris suis ignem accendit, relictisque tentoriis fugam simulans, secessit. Intelligens igitur Zeffer Bassa, castra militibus evacuata sibi iam patere, Zellalyum fugam arripuisse ratus, cum suis advolat, tentoria relicta occupat, & prædam suos colligere iubet, qui cum omni cura vacui spoliis inhiantes tentoria omnia perscrutarentur, reversus vigesimo secundo Decembris die, Zellalyus, cũ 3000. suis equitib. Turcas omni metu solutos opprimit, reluctãtes sternit, & stragem maximam edit, ita ut 6000. fere cecidisse perhibeantur. Mox deinde profligato hũnc in modum Bassa, universam regionem pervagatus, omnia oppida & pagos iuramento sibi adstrinxit, plurimas opes & equos in urbem Bagnalucam perdu-

Anno 1603. xit & multis tormentorum disploſionibus, integro biduo triumphum egit, apertè profeſſus, ſe periculum ſi quod à Sultano hoc nomine metuẽdum ſit, Hungarici Regis auxilio facile propulſaturum. ii Sultanus equidem dictum modo ſedt oſorum Ducem, antequã hæc fierent, per aliquot internuncios Conſtantinopolim revocaverat, quaſi meliori eum regioni & muneri præfecturus. At ille oblatos honores recuſans, promiſſa ſibi regione contentum ſe fore, reſponderat.

Turcæ à Rege quodam Orientalicæ.

Cæterum cum Regi cuidam Orientali Turcæ hoc tempore multis modis moleſti eſſent, ipſe mercatorum quorundam, in ſuo regno mercaturam exercentium, auxiliũ implorauit, cumq; 400. Luſitanos ab ipſis impetraſſet, eorum opera Turcis tandem ſuperior factus eſt. Profligatis igitur hoſtibus, ne pro victoria hac ingratus eſſet, multo militesiſtos Luſitanos auro & unionibus precioſiſſimis donauit, Duci ipſorum filiam ſuam, uxorem dedit, & ſpem ei de regno poſt mortẽ ſuam obtinendo luculentiſſimam fecit. Sub

Sub finem Decembris, Cassoviæ præfectus re cum vicinis Episcopis diu deliberata, religionem mutare, & cives vi summa opprimere decrevit, Vocatos igitur equites vestitu ruffo, flavo & viridi ornatos, ad mandatum suum cũ Valonibus præsto esse iubet, peregrè sese abiturum simulans, parent equites, & armati probè cum explicatis vexillis suis adsunt, Interea firmatis Germano milite portis, ut transitus nemini pateret, & multis per plateas, ubi præcipui quique civium habitabant, dispositis, cum onerata globis tormenta, in forũ protrahi, & in templum dirigi iussisset, accersito ad se cum primariis civibus iudici mandatum de aperiendo templo, clavibusque eius sibi tradendis & mutatione religionis admittenda statim proponit, ne quid reluctentur admone, & ni omnibus subversis præda militibus fieri velint, eo ipse die templum aperiant hortatur. Cives igitur cum aliud evitandi mali præsentissimi medium nullum adesset, vi summa coacti mandatum admiserunt, voluntati eius

Anno 1603. *Subita religionis in Cassovia mutatio.*

Anno 1603. cõsentientes, præsertim cum viderent equites quidẽ suis iam iniunxisse, ut sub initium tumultus, civium statim ædes perrumperent & spoliarent, pedites vero spe prædæ haud vulgaris acquirendæ, direptionem prædivitis alicuius viri, Melchioris Renieri, domus, apud præfectum obtinuisse. Acceptis clavibus mandatum statim per præfectum promulgatum est, ne quis in ædibus suis, vel baptismo vel S. Synaxi vel concionibus sacris vacaret, cumque Georgius quidam Saba per concionatorem quendam Hungaricum concionem domi suæ haberi curasset, pœna ei 10000. Ioachimicorum irrogata est, de qua quidem etiam nihil remittere præfectus voluit, licet is 1000. Húgaricos aureos cum 10. cadis generosissimi vini ipsi offerret, Propter hanc subitam & inexpectatam religionis mutationem multi cives decreverunt, mutato loco, Sarosbodacum sub Collonitsii iurisdictionem concedere.

Eodem hoc tempore & Helvetiis propter religionem ingens imminere peri-

periculum visum est, Catholici enim omnes secum facere recusantes, opprimere decreverant, itaque Bernensium quidem civitas immisso igne subvertēda, at Vallisii gladio extirpandi fuerant, quo fine quidem & Rhetis Alpestribus per Comitem Fuentium transitus ōis intercludebatur, sed consultationibus hisce mirabiliter detectis, periculum à cervicibus suis Helvetii facile depulerunt. Anno 1603. *Helvetiis ob religionem periculum imminet.*

Cæterum cum ultimo Decemb. die Archiepiscopus & Elector Moguntinus, Ioannes Adamus mortem obierit, Annum hunc 1603. insperata eius morte non immerito concludimus. Mortuus igitur is est Aschaffenburgi, cumq; usitato Principibus viris more, intestina eius opobalsamo & aromatibus aliis condita essent, decimo Ianuarii die, navi, nigro colore tincta, sonātibus interim campanis, & equitatu eius terra præmisso, Moguntiam traductus est, ubi peractis funeralibus ceremoniis, duodecimo postmodum Ianuarii die in Cathedrali templo, honori- *Archiepiscopus & Elector Moguntinus moritur.*

Anno 1603 norifice sepulchro illatus & Antecessoribus adgregatus est.

Legationis Moscica ad Danicæ Regē summæ.

Moscoviticæ legationis, cuius supra circa Regis Daniæ in Hamburgum ingressum mentio facta est, petitio fuit, vt Rex, magni Ducis Moscici filiam alicui cōsanguinitate sibi coniuncto desponderet. Itaq; cū principes aliquot ex consanguineis suis Rex nominasset, & vero legati eos omnes reiecissent, proposuit ipsis tandem Ioannis Sonterburgici, patrui sui filium, quem an approbaturus Moscicus sit, ut nuptiæ inter eos fiant, revelans omnia tempus aperiet.

Cæterum Daniæ Rex ingentem armorum copiam parari iussit, ad usum Regni Suetiæ, ubi Ducem Carolum in Regem brevi coronatum iri rumor est, omnes enim is Suecos nobiles, quos suis hactenus sedibus eiecerat, revocavit, promissaque securitate, amicitiam cum eis initurum se firmissimam pollicitus est. At Polonus contra, missis in Suetiam literis, Ordines neà se, legitimo nempe & coronato suo Rege & Domino deficientes, patruo suo,

Ca-

Digitized by Google

Carolo adhæreſcerent & ab eo impo- Anno
ni ſibi paterentur, fideliſſime eſt hor- 1603.
tatus, addita ratione, quod iniurius qui-
dem ipſis nunquam fuerit, at vero Ca-
rolus, multa ſanguinis effuſione, non
parum eis formidabilis hactenus exti-
terit. Sed & in Angliam legatos, qui Re-
gi gratularentur, & ſi non auxilia ab eo
impetrare poſſent, ſaltem ne Carolum
iuvaret obtinerent miſit, quod ipſum
quidem & Daniæ Regem per legatos
ſuos paulo ante rogaverat, præſertim
cum totam fere Livoniam, Revelia &
Pernavia exceptis, Moſcoviæ Ducis au-
xilio recuperatam, rurſus poſſideret.

Caſtra ad Oſtendam novi militis augentur

Cum circa principium Ianuarii na-
ves aliquot ex Oſtenda dimitterentur,
una earum atque altera globis concuſ-
ſa periit. Tribus autem excubitoribus
Hiſpanis in urbem receptis, cognove-
runt Oſtendani, caſtris Hiſpanorum
intra dies octo, acceſſionem non con-
temnendam factam eſſe, adveniſſe e-
nim 50. peditum vexilla, cum 7. equitũ
turmis, ut ita ab omni parte oppugna-
tionem iam tentare velle Hiſpani vide-
rentur,

Anno 1604. rentur. At Confœderatorum milites nihil hoc nuncio perturbati, cum recentem nuper accepissent militem, & rerum necessariarum defectum adhuc nullum sentirent, constitutis undique excubiis, ut insultantes exciperent, alacres animis videbantur.

Sylvæducenses legatos ad Archiducem mittunt.

At vero Sylvæducensium angustiæ cum indies maiores fierent, & commeatuum ipsis nihil admitteretur, legati quidem à Grobenduncio & senatu civitatis, ad Archiducem missi, 9. Ianuarii Bruxellas venientes opem & auxilium eius expetiverunt, addita protestatione, se nisi brevi subleventur, civitatem retinere vix posse, cum præsertim & opifices, quorum civitas admodum abundans est, impeditis commerciis, uxoribus & liberis sese alendis sufficere diutius nõ posse conquerantur.

Confœderatorum militum conatus frustrati.

Interea Confœderatorum milites in bigarios quosdam vina Brabantiam Colonia vehentes, inciderunt, pertusisque doliis, cum strenue potassent, partem luto immissam corruperunt, partem ad præsidia sua secum abduxerunt.

runt. Ingenti autem etiam aliquot mil lium numero iuxta Bredam congregati, de Traiecto, urbe ad Mosam fluvium sita, quæ clavis Brabantiæ habetur, ex improviso opprimenda, consultarunt, verum consilio mature patefacto, re infecta ad stationem suam redire sunt coacti. Anno 1604.

At vero Henricus Comes Vandenbergicus, ad Ercklam oppidum, cum armata manu profectus, deditionem eius sibi fieri voluit, cumq; cives, utpote qui numerata Comiti non ita pridem magna pecuniæ summa, immunitatem à præsidiariorum isthoc onere obtinuissent, id facere omnino negarent, admotis statim 7. tormentis concussionē fieri præcepit, itaq, metu maioris periculi coacti oppidani, Hispanos milites iterū admiserunt. Seditiosorū porro aliqui ex Gravia excurrentes, Tuitium 21. Ianuarii pervenerunt, quatuor captivos rusticos secum detinentes, cumq; duos Coloniam redemptionis precium pro liberandis captivis allatum misissent, à senatu quidē primo detēti sunt, verum

Comes Vandenbergicus Ercklam occupat.

Anno 1603. verum cum in civitatem moliti nihil essent, post dies aliquot dimissi iterum ad suos redierunt.

Milites quidam per seditionem solutionē, impetrāt.

In erca seditiosorum Germanorum militum sexcenti, qui in castris Hispanorum stipendia facientes, circa Leodium, in Lœvvia stationē suam habuerant, impetrato stipendio, abierunt, cumq; qui ex Hispanis & Italis permixti, stationem suam Diestæ habebant, equites peditesque fere 1400. Germanos hoc medio solutionem impetrasse viderent, seditionem & ipsi tentare & solutionem expetere visi sunt, quam etiam post dies paucos, ut maius aliquod periculū caveretur, obtinuerunt.

Seditiosi solutionē plenariā urgent.

Reliquis vero seditiosis, qui sub communi fœderatorum Ordinum patrocinio, Graviam modo tenent, Castiliæ Gubernator, qui circa ultimum Decemb. ex Hispania, Bruxellas adveniens ab Archiduce & Infante eius coniuge, honorifice exceptus fuerat, missis literis significauit, si de summa sibi debita, dimidium remittere, & sub Rege iterum Catholico militare vellent, solutionem

sese

seseipsis facturum. At illi conditione hac plane repudiata, plenariam expostularunt solutionem, Hispano obligati amplius esse prorsus recusantes. Iratus igitur Castiliæ præfectus, proscriptionis fulmen in eos denuo direxit, quod ipsi tamen parvi ducentes, novis exactionibus in Brabantia operam dederunt, & Einhofiam una cum castello occupatam diripuerunt. Interim tamē eos, quorum summa 30. Philippicos non excedere deprehendebatur, à se reiectos, spe urgendæ ipsorum nomine solutionis, cum commeatu dimisērūt, quos deinde cum ultra 400. numerarentur, Mauricius receptos, inter suos variè distribuit. Anno 1604.

Turca paci cum nostris tractandæ studēt.

Calendis Ianuarii Anni huius 1604. Altheimius cum commissariis & præfectis quibusdam aliis, 13. navigiis advectus, ad insulam, quæ supra Pestam & Budam conspicitur, appulit, De cuius adventu Budenses certiores facti, cum quatuor statim navigiis advolant, & pacis tractationem cordi sibi esse, summè confirmant. Hærebant primo nostri,

Anno 1604. stri, & assensum asseverationi ipsorum præbere recusabant, simulare eos pacis tractationem rati, ut constitutis induciis, comparando interim novo exercitui & reparādis viribus studerent, præsertim cum ab excursionibus & novis molitionibus præsidiariorum nostrorum militum, qui in finibus satis copiosi hærebant sibi non parum metuerent: Confirmabant hanc in nostrorū animis opinionem tergiversationes & procrastinationes Turcarum variæ, q nimirum pacis quam petebant tractationem, de die in diem differre videretur, Cum enim quinto Ianuarii, Bassæ Budensis adventus, qui ad futurum se eo die, & conditiones nostris tolerabiles satis & acceptabiles propositurum significari iusserat, erectis ante Pestam duobus tentoriis expectaretur, ipse quidem non comparuit, sed literis tamen ad Altheimium missis, ne quid ad se Budam trāsire & tractationis istius initium ibi facere gravaretur, expetiit; Itaque ne quid in se desiderari Altheimius pateretur, Budam transiturus, stabularium

larium & culinæ magiſtrum una cum primario quodam Turca, qui pridie ei-us dici advenerat, præmiſit. Cæterum cum in Danubio vcherentur, ingens ſubito tempeſtas exiſtens, naviculã pervertit, & omnes eos fluctibus immerſos ſuffocavit. Sequenti die cum tempeſtas ceſſaſſet, Altheimius aſſumpto Geiſbergio, Danubium traiecit, militib. primo aliquot ad præcavẽdas Turcarum eruptiones, in caſtrum S. Andreæ tradu ctis. At vero Turcæ ingentem ob eorũ adventum præ ſe ferre læticiam videbantur, humaniter admodum eos excipiẽtes, laute tractantes & pro fraternitate cũ eis ſtrenue potantes. Inter alia vero ſignificabant, pacẽ ſeſe ad annos duos facturos, petere vero inducias ad 11. uſq; Feb, quo tẽpore ab armis utrinque ceſſarẽt, & partibus libere quo vellent ire atq; redire permitteretur. Anno 1604.

Cæterum ut rem ſeriam ſeſe agere, & nihil fraudulenter atque ſubdolè ſimulare eo facilius noſtris perſuaderẽt, præſentib. etiam nũ & videntib. Althei mio & aliis, curſorẽ Cõſtantinopol. re- *Cæſari numerã d. Budenſi Baſſa mittuntur.*

Anno 1604. ſponſum à Sultano allatum Baſſa ablegavit, prolatamque veſtem Attalicam manicatam puriſſimo auro conſpicuam, faſciolisque cæruleis prætextam & acu quam artificioſiſſime pictam, Archiduci Matthiæ una cum muneribus aliis offerendam Altheimio tradidit, cui quidem etiã Altheimius eam poſtea Viennæ, cum multorum admiratione obtulit, Cæſari autem ipſi, duas arcas, omnis generis armis Turcicis refertas, & mulo impoſitas, nec non phaleras pro equo uno Turcicas, auro Arabico, ſplendidiſſimè exornatas, dono miſit, Baſſæ porro ſubpræfectus, Bogier Chichaya, Altheimio ipſi etiam veſtem Attalicam in amicitiæ & fraternitatis confirmationem donavit, & reliquis tam præfectis quam ſubpræfectis omnibus veſtes eiuſmodi auro intertexto nitentes datæ ſunt. His igitur ita peractis Altheimius tandem, Baſſa & proceribus Turcicis aliis ſalutatis, Danubium rurſus traiecit, & Peſtam cum ſuis repetiit.

Mortuus eſt hoc tempore Heros fortiſſi-

tissimus Nadastius, qui multis iam annis pro Christianis militans, Turcis nō parum formidabilis extitit, Itaque illi, cognita eius morte, ut acceptum ab eo damnum ulciscerentur, impetum statim in eius regionem facere tentarunt, verum à Collonitsio fortissimè reiecti pedem retraxerunt. Vndecimo autem Ianuarii die duo Valachi, per Posoniū transeuntes, nuncium de Vaida Radulensi quam nimirū is victoriam à Turcis nuper insignem reportans, summis eos ex Valachia, in quam ingenti numero impetum fecerant, viribus profligarit, editaq; prope Cocharusam haud vulgari strage, multos comprehensos secum retinuerit, attulerunt.

Anno 1604. *Nadastius moritur.* *Turcæ in Valachia cæsi.*

Cæterum cum de dictis modo induciis, non omnibus Bassis constaret, ne quid imprudentes ipsi peccarent, & cœptam hanc pacis tractationem irritam facerent, Budensis Bassa hac de re monendos eos existimans, Agriensem præcipuè, ut gladiis ad parietem suspensis, à populationibus & excursionibus omnibus, donec quid porro faciēdum

Inducie inter Turcas & nostros.

1604. Anno

esset, denuo admoneretur, abstineret, per literas admonuit. Interim Germani quidam milites durantibus induciis ad locum, ubi castra nostrorum non ita pridem fuerant, egressi, an pecuniæ aliquid, & rerum aliarum in tanto strepitu forte deperditarū invenire possent, studiose quæsiverunt. Idem vero & Turcæ fecerunt, amica prorsus conversatione cum nostris utentes, iisque salutatis postmodo recedentes. Sed & ad thermas Budenses nostri profecti, & Budam sine ullo periculo libere pervagati sunt, quemadmodum similiter & Turcæ Pestam venientes, merces Turcicas varias venum asportarunt.

Sub finem huius mensis, Ordinum quidam ductor Asselbornius, ob perpetratum in castris, cum puero quodam, Sodomiæ flagitium, post longā admodum reluctationē, capite truncatus est.

Tempestas Viennæ.

Viennæ a. tanta ventorū & procellarū tempestas extitit, ut pinnaculis tectorū convulsis, & magna parte tecti ænei, a domo Cæsarea in fossam proiecta, non parum civibus damni illatum sit, præsertim

sertim cum & currus aliqui ex ponte in Danubium præcipitarentur, & nō pauci in plateis ambulantes, disiectis variè tectorum lapidibus læderentur. Anno 1604.

Mortuus interea est Sultanus Imperator Turcicus, Sic enim cum ultimo Ianuarii sub vesperam tabellarius quidam Turcicus Budam advenisset, Murathes statim Bassa, misso Pestam vigilum præfecto, nunciari Geisbergio curavit, Imperatorem suum morte extinctum, & filium eius, propter ætatem quidem, (cum natu maximus de mandato parentis laqueo antea suffocatus pericrit,) tantis rebus gerendis imparem, ei successisse, & publice per universum imperium, novum iam Imperatorem declaratum esse, Eodē autem eum quo parens animo inchoatam pacis tractationem promotam cupere & firmatam sancte tueri. Dictus autem vigilum præfectus, Pestenses simul, ne quid tormentorum displosionib. quæ Budæ iam & alibi futuræ essent, moverentur, monebat, longo.n. usu apud Turcas receptū esse, ut novo aliquo Imperatore

Anno. 1604. in locum defuncti ſuccedente, commune ſuum gaudium tormentorum diſploſionibus teſtatum facerent.

Litera Turcica ad Altheimium de morte Sultani & pace firmanda ſcripta.

Ad Altheimium porro ſequentes literæ ſunt tranſmiſſæ: Poſt ſalutem noſtram, generoſe Domine præfecte, amice & vicine noſter, multum colende, celare te non poſſumus, nos decimo quarto poſt tuum à nobis diſceſſum die, literas Conſtantinopoli, de potentiſſimi noſtri Imperatoris & Sultani Mahometis morte accepiſſe, in cuius locum filius eius Sultanus Achmates ſucceſſit, qui quidem nos admonet, ut, cum imperium ad ſe legitime iam devolutum aggreſſus ſit, fidem & obedientiam ſibi debitam præſtemus, Inter alia vero etiam, quid de negotio, à parente ſuo nobis antea demandato actũ ſit, ſcire admodum deſiderat, ratum ſeſe, ſi quid conſtitutum ſit, & firmum ſemper habiturum declarans, ſi vero cauſa nondum tranſacta ſit, velle ſe affirmat, ut ei quam primum componendæ modis omnibus ſtudeamus. Cæterum cum quid profecerimus ſibi reſcribi ex-

bi expetat, & vero responsum à vobis etiamnum desideremus, cursorē apud nos detinere voluimus, donec quæ vobis mens sit, & quid tandem sperare in hac causa debeamus, ex responsione tuà nobis constet. Tuum igitur iam fuerit præfecte & amice optatissime, quid factu optimum sit dispicere. Novus enim noster Imperator in flosculi alicuius morē iam viresc it, otium detestatur unice, temporisque dispendio nullam sibi contingere iacturam graviorem posse statuit. Itaque si eo adhuc animo sis, ut firmata pace, fœdus inter utrumque Imperatorem constituere expetas, nullis te parsurum laboribus confidimus, ut primo quoque tempore cœptum illud opus ad optatum finem perducatur. Idque eo magis, ne cervicibus nostris æternam à vulgo attrahamus maledictionem, cum eius interfit maximè inchoatum hoc negotium ita finiri & componi, ut fructum inde percipere desideratissimum possit, nosque laudem potius quam odiū inde reportemus. Quapropter bona Anno 1604.

Anno 1604. nos spes habet, te ubi adveneris, non adducturum tecum personas eiusmodi, quæ pacem dissuadeant, sed quæ eius promouẽdæ & confirmãdæ desiderio maximo teneãtur, & ut cõstans inter utrumq; Imperatorẽ pax atq; amicitia quã diutissime floreat, constituatur, modis omnibus q̃ fidelissime enitãtur.

Ioannes Zamoscius Magnus Cancel. Poloniæ falso mortuus perhibetur.

In Polonia hoc tempore Ioann. Zamoscium magnũ Cancellariũ mortuum, & Staroscdã Lublinensem Ezebrodauscium in ipsius locũ suffectum esse, falso fama ad nos delatum est. In Moscovia autẽ motus & tumultus varii extiterũt, ita ut transitus iam vel accessus nemini pateat, idq; propterea q̃ in Lituania aliquis, nomine Pasilluvvitzius inventus sit, qui hæredẽ Moscoviticum & filiũ Tyranni istius Basilidis se esse palam profiteatur. Hunc ferũt morti, cui

Novi motus in Moscovia

à parente olim destinatus fuerat, mirabiliter, substituto in locũ eius alio, ereptũ, & apud Wagisvvascium, clam educatũ esse, cum igitur iam à Moscis quibusdam expeteretur, profectus ad Poloniæ Regem, mille aliquot Cosaccos in auxilium

xilium adversus modernum in Moscovia magnum Ducem expetiit, sed nihil tamē obtinere potuit, propterea quod populo suo Rex ad expeditionem in Suetiam brevi iterum faciendam, opus se habere profiteretur. Anno 1604.

Negotiationum Hispanicarum in Gallia inhibitio.

Sub initium Feb. Henricus IV. Galliæ Rex, edito publice mandato, constitutionem suam de 30. florenis pro centenis quibusq; portorii nomine numerandis, revocavit, negotiationib. quæ in Hispaniā & Flandriā exercētur, prorsus interdictis & prohibitis. Sic. n. viso, inquit Hispaniæ Regis mādato, per Hispaniam & Flandriam publicato, initio quidē se non existimasse, ad suos quoq; subditos illud pertinere. Cū a. postea urgeri ēt eos & summa vi cogi audierit, vt novæ huic cōstitutioni satisfacerent, & 30. pro centenis singulis nomine vectigalis, telonariis solverēt, intelligere qui dē facile se potuisse, cōstitutionem istā Hispanicā, ad suos ēt directā esse, Itaq; vt æqualitas utrobiq; servaretur, cōstituisse se, pari onere eos qui per Hispaniā & Flandriā navigātes bona sua hinc inde trans-

Anno 1604. transveherent gravare, & 10. pro singulis centenis, tam ex Hispania & Flandria in suum Regnum, quam inde ad loca prædicta transportandis, à mercatoribus istis exigere, quemadmodum etiam mãdatum hoc nomine, præterito Novembri ediderit. Cæterũ cum videat iam, constitutionem hanc, si utrobique rigidè observetur, ad pernicicem & certum suorum subditorum interitum directam esse, non solum propter exactionis rigorem, sed & propter fraudem quam cavere circa constitutionem istam impossibile sit: Et vero in animo nunquam habuerit, conduplicato vectigalium onere, subditis molestum esse, sed potius fratrem suum, Hispaniæ Regem permovere, ut mutata sentẽtia, subditos isto onere sublevaret, & mercimonia exerceri libere permitteret, quemadmodum id quidem vicinitatis, fraternitatis & confœderationis mutuæ ratio requirere videatur, ut fructus tandem aliquis pacis & tranquillitatis, quam pro sua quidem virili conservare paratissimus sit, ad subdi-

tos

tos redundet: Itaque in ſtituto hoc nomine multorum principum & Regni procerum conventu, re bene deliberata, decernere ſeſe iam & edito hoc publico mandato ſeveriſſime præcipere, vt quo melius ſubditi ſui iſto onere leventur, nihil omnino bonorum, ſive fruges ſint, ſive vina, ſive pecora, ſeu quodcunque tandem aliud, terra marive in prædictas Regis & Archiducis regiones ex ſuo regno transportetur, aut inde ad ſuum regnum referatur, ſub pœna cõfiſcationis & amiſſionis omnium non bonorum tantum, ſed & navium, curruum & equorum, ſecuritatis literis omnibus, ſi quæ hoc nomine alicui datæ ſint, neglectis atque reiectis. Vt autem mandatum hoc eo melius ſervetur, & in actum producatur, conſtituere ſe, ut omnium bonorum pars quidẽ tertia ei cedat, qui facta diligenti inquiſitione ad iudicem deferet, ſi quid contra hoc mandatum à quoquam commiſſum videat. Anno 1604.

Cæterum quod attinet ad principes, civitates & Reſpub. alias, huic quidem

Anno 1604. dem eas mandato subiectas esse non velle sese ait, sed absque ullo periculo negotiationes in suo regno libere exercere. Ne autem forte hac libertate aliqui abutantur, & bona in Galliæ regno collecta, postmodum ad loca vetita deportent, simulantes se illa in patriam suam, ubi habitent, transferre, velle se, ut peregrini isti mercatores, qui privilegio negotiationum gaudent, curatoribus & præfectis huius rei promittant, quod certo & definito tempore reversuri, testimonia à magistratu suo, de bonis istis domum ritè delatis & non alibi forsitan locorum exoneratis, afferre secum velint. Quin & hunc dolum sese præcavere, ne exoneratas semel domi suæ merces, navibus postmodo iterum imponant, & ad loca vetita deferant. Hoc enim facto pœnam advenientes eos non evitaturos. Deniq; ne quis forte mandati huius ignorantia sese tueatur, iubet ut publicatio huius edicti, per omnes Regni sui partes, iudices quidē fieri sinant, ipsi vero omnes & singuli sub pœna severissimæ animadversionis

nis

nis in id incumbant, ut inviolabile hoc mandatum conſervetur, & nemini cō- tra illud peccanti parcatur, ſed & qui delinquētes ad magiſtratū detulerint, abſque ulteriori reſolutione, tertia bonorū parte ſtatim fruātur, in cuius rei fidem ſigillum ſuū literis appenſum ſit, quæ quidem Rotomagi primum, 14. Feb. poſtea vero Ambiani & conſequēter per uniuerſum Galliæ regnū publicatæ ſunt, addita proteſtatione, Regem ab hoc mandato ne latum quidem unguem receſſurum, donec Hiſpanns mutata ſententia, à rigore ſuo, 30. pro centenis ſingulis exigendi remittat. Anno 1604.

Novus Elector Moguntiæ eligitur.

Februar. die 17. in locum defuncti Electoris Moguntini, Archiepiſcopus & Elector alius Ioann. Schvveicardus ex nobiliſſima Cronbergiorū familia oriundus, non ſine applauſū & lætitia vulgi eximia electus eſt. Deferebatur eodem tempore ad nos ex Hiſpania, in India Occidentali, quam vulgo Americam vocant, novam rurſus inſulam, quæ Atamidis dicatur, & 2600. miliaria Gallica contineat, inventam nuper & aper-

Inſula nova in America aperta.

Anno 1604. & apertam esse, cumque, auri & argenti ditissima sit, multos statim Iesuitas ex Peruana regione, & nova Hispania eo delatos esse, quorum industria & homines ad fidem revocarentur, & insula ipsa Hispanici Regis potestati subiiciatur.

Seditiosi Erclam & Kerpã occupant.

Seditiosi cum Confœderatorum Ordinum militibus, magno numero sub initium Februarii in Geldria congregati, cum tormentis aliquot Erclam versus contenderunt, quod quidē oppidum Henricus Comes Vandembergicus, ut paulo ante diximus, contra promissionem civibus factam, occupatum tenebat, qui quidem cognito seditiosorum adventu, ea nocte quæ 16. Febru. diem præcedebat, convasatis rebus omnibus relicto oppido discessit. Itaque cum sequenti die Seditiosi cum Confœderatis adveniissent, à civibus facile sunt admissi, à quibus illi quidem 20000. Ioachimicorum summam exigentes, præcipuos quosq; donec pecunia numeraretur secum abduxerunt, itinere Kerpam versus directo, quo

quo cũ 21. Feb. veniſſent, deditionẽ qui dem arcis fieri iuſſerunt, At cum ab Hiſpanis ſatis contumelioſe reiecti eſſent, ſequẽti ſtatim die admotis aliquot tormentis eam concutere cœperunt, addita comminatione, ſi armata manu arcem expugnare cogerentur, in crucẽ omnes actum iri. Metu igitur coacti Hiſpani, deditionem fecerunt, quibus decedentibus, confœderati ſtatim arcem occuparunt, cumq; pro itineribus Brabantiam & ad loca alia ducẽtibus præcludendis, non parum facere hanc arcem ſcirent, de ea modis omnibus firmanda cogitationem ſuſceperunt. Hoc ita peracto, conſtituerunt ſeditioſi, traiecto Rheno in Weſtphaliam & vicina loca alia penetrare, Cum autem in tranſitu ad Coloniam, ſeditioſorum aliquis petulantem ſeſe admodum declararet, directo in eum ſclopo præſidiarius quidam civitatis, equum cui inſidebat glande percuſſit, ut ſubito concidens moreretur. Itaque ſeditioſi factum illud admodum exaggerantes, modis omnibus ſeſe ulturos minati

Anno 1604.

Seditioſi hoſtiles literas Coloniam mittunt.

Anno 1604. sunt, statimque tribus aut quatuor tormentis Tuitium & Mulheimium, adductis, hostiles in civitatem literas miserunt, denunciantes ei aperte, quod licet urbem quidem hoc tempore expugnare se non posse scirent, pagis tamen & domibus extra civitatem cōstitutis, quemadmodum etiam mercatorum bonis omnibus, insidias struere modis omnib. decreverint. Nec diu morati, oneratā quæ Tuitii in cœmiterio disposita habebant tormēta duo, aliquoties in urbem disploserunt, globos ferreos 24. & 10. ℔. per muros & ædificia proiicientes. Colonienses igitur licet damni adhuc parum percepissent, prēter enim virum & puerum aliquem, nemo percussus perierat, attamen ut petulantiam istam aliquo modo reprimerēt, oneratis tormentis respondere ipsorum conatibus cœperūt, globos aliquot ferreos trans Rhenum missos ipsis propinantes, quibus cum tormentum seditiosorum alterū forte læsissent, cessandum ab irrito hoc suo conatu rati, tormenta Mulheimium abduxerunt. Post modo

modo vero Benſpurgum contendentes, ita ſunt excepti, ut aliqui ipſorum trucidati perierint. Abbas Altenbergicus magnam ipſis lardi & avenæ copiã, cum quibuſdam tormentarii pulveris vaſculis ſuppeditare coactus eſt. Anno 1604.

Cæterum cum nihil ad Coloniam proficere ſeſe poſſe cernerent, tormentis quidem Remberckam dimiſſis, ipſi in Weſtphaliam profecti ſunt, ingentem per pagos & oppida pecuniæ ſummam à Colonis exigentes. *Seditioſi in Weſtphaliam progrediuntur.* At vero ne confœderatis Ordinibus hanc ſeditioſorum petulantiam Colonienſes imputarent, Boiſius, qui confœderatis in expugnatione Kerpenſi Dux præfuerat, datis ad Senatum Colonienſem literis, prolixè ſe purgavit, ſanctè affirmans, ſuo id conſilio & moderatione factum non eſſe, nec quenquam ex cõfœderatorum militib. ibi adfuiſſe, qui mature ab ipſis ſeceſſerint, qp ſcirent, mentem Ordinib. nõ eſſe, ulli eximperialibus civitatibus de facto nocere & detrimento eſſe. Sed Colonienſes tamen non ceſſarunt de iniuria hac apud

Anno 1604. Ordines conqueri, qui seditiosos istos suo imperio subiectos non esse responderunt, & seipsos, quod suis detrimento non essent, admodum lætari. Scribendum igitur hoc nomine ad Archiducem esse, eumque monendum, ut quomodo ab ipsorum incursionibus liberari possint videat.

Novus Imperator Turcicus coronatur.

Mortuo Imperatore Turcico, cum filius eius Achmates ei succederet, vitandi tumultus gratia Ianitsaros primum antequam coronaretur, sibi cõciliandos censuit, itaque ingenti pecuniæ summa inter eos distributa pretiosissimo curru, ut ab omnibus conspiceretur, per uniuersam ciuitatem se traduci curauit, Post coronationem autẽ, cum de Persici Regis bello, quo parenti suo nõ parum negotii faceſſens, Tauriſium nuper expugnasset, edoceretur, non legatum solum eius Regis, quem pater suus captiuum hactenus detinuerat, dimisit, sed & Bassam Alepensem, pacem cum eo factum ablegauit.

Interea Zeffer Bassa quem supra à Zellalyo Rebellantium præfecto, ex Bos-

Bosnēsi regione profligatum dixi mus, reparatis viribus, sedem suam recuperare constituit, At signa cum Zellalyo conferens, in fugam statim versus est, Zellalyo post consecutam victoriam, arcem eius regionis munitissimā, post aliquot dierum obsidionem, expugnāte & occupante. Hunc fama est à Turcico regno plane deficere, & cum Cæsare amicitiam inire velle, quo fine quidem à Christianis & Valachis suos abstinere iusserit, & quinq; Monachos, sacra quotidie tractantes, secum habeat, qui victoriam & felicem successum ei in multos annos promisisse dicuntur.

Anno 1604. *Zesser Bossa secundo infeliciter pugnat.*

Sub finem Februarii Sigismundus Battorius, Pragam adveniens, à Cæsare honorifice exceptus & multo vino, ferinaque carne & avena donatus est, postmodo per Furstenbergicū & Walsteinium comites, ad palatium provinciale maius Cæsareo insidens essio deductus, Ordinibus sese Bohemiæ provincialibus adnumerari, per supremū provinciarum præfectum, splendida oratione petit; Cumq; Ordines, quo-

Sigismundus Battorius Ordinibus Bohemiæ adnumeratur.

Anno 1604. rum 50. fere ibi tum congregati aderant, visa etiam Cæsaris quam Wallsteinius proferebat, intercessione, annuissent, atq; ita voti sui Battorius compos factus esset, post gratiarum actionem à provinciarum præfecto habitã, ipse etiam latina oratione satis eleganti, Ordinibus sese commendavit, eaque finita, cisium rursus conscendens, ad Wallsteinii ædes, ubi diversorium suum habebat, delatus est.

Seditiosorum in Westphalia conatus.

Interea seditiosi in Westphaliam venientes, magnam ab Episcopo Paderbornensi pecuniæ summam extorserunt: Cum autem ulterius progressuri ex diœcesi eius discessissent, rustici Delbruccenses magno numero viam ipsis præclusum convenisse, & sclopis suis aliquot ex seditiosis interfecisse dicuntur, unde irritati seditiosi ad latus declinarint, rusticos illos, qui victoria sese iam potitos putarent, ex statione sua protraxerint, ad 500. ferè trucidarint, & pago aliquo accenso, abierint, itinere suo ad diœcesin Minnensem & Osnabrucensem directo.

Pro-

Propugnaculum hoc tempore aliquod veteris Ostendanæ civitatis tanta fluctuum marinorum vi cõcussum est, ut confœderatorum Ordinum milites cedere inde cogerentur, Itaque Hispani æstu maris recedente, sine ulla reluctatione, desertum illud occuparunt, verum eo rursus accedente, Confœderati summo impetu illud iterum occuparunt Hispanis inde eiectis & trucidatis. Anno 1604. *Hispani propugnaculum ad Ostendã occupant*

Mittelburgum eodem tempore duæ naves ex China, multo pipere & aromatibus aliis onustæ, advenerunt, afferentes simul nuncium, de insigni victoria, quam Hollandicæ tres naves aliæ, quas ipsæ Bantami reliquerant, à Lusitanica quadam navi post pugnam navalem non mediocrem reportassent, & ingẽtes inde opes lucratæ essent, propediem cum illis domum redituræ. *Navis Lusitanica admodũ dives ab Hollandis expugnata.*

Diximus supra quomodo sacrificuli duo in Angliã ob cõspirationem capite mulctati sint, cum a plures adhuc captivi detinerẽtur, & vero Rex proditionis eiusmodi periculũ cavere imposterũ modis omnib. adniteretur, 22. Feb. *Anglia Rex Iesuitas & alios eiusmodi religionis ministros ex regno suo proscribit.*

Anno 1604. mandatum edidit, quo Iesuitas cum sacrificulis & Catholicæ religionis propagatoribus omnibus, proscriptos, ante 19. quidem Martii, ex universo Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ regno discedere iussit. Principio autem quantum laboris post politicæ quidem gubernationis constitutionem, in reformandis & reparandis ceremoniis Ecclesiasticis, in Anglia hactenus receptis, sustinuerit, exponit, quos dum ita constitueret, ut nemini pietatis amanti displicere eas posse confideret, animadvertisse se interim ait, universum illud religionis negotium non parum deformari posse, ab illis, qui hostes eius sunt acerrimi, nempe à Iesuitis, sacrificulis & id genus aliis, tam qui ante suum adventum in regno isto fuerint, quam qui postmodo accesserint, qui quidem omnes iam religionis suæ multo quam ante liberius in regno isto professionẽ faciant, spe partim mutationis alicuius introducendæ, de qua tamen nec ipse unquam cogitarit, nec suspicandi ansam ulli præbuerit, partim vero abusu gene-

generalis illius omnium delictorum remissionis, quæ tempore coronationis suæ consueto more facta sit, quam quidem Iesuitarum aliqui sub sigillo regio sibi compararint, sperantes se liberos fore ab omni iudiciorum periculo, & propterea eo confidentius celebrandis Missis & aliis officiis Ecclesiasticis peragendis vacantes, cum seductione subditorum ab obedientia sibi debita ad Romanæ Ecclesiæ veneratio nem. Cum igitur non minima Regii muneris & officii pars sit attendere, ne subditi in religione, pietate & obedientia corrumpantur, obligatum se vel sua ipsius conscientia teste affirmat, advigilare sedulo, ne sui, superstitiosis in religione opinionibus, quæ non animabus tantum ipsorum officiant, sed & instrumentum sint quo ab obedientia debita avertantur, fascinati pereant. Cum autem id alia ratione fieri non possit, quam ut obviam tempestive eatur, corruptionis istius ministris, qui quidem sint sacerdotes & clerici omnis generis, qui ab externa & in Angliæ Regno Anno 1604.

Anno 1604. prohibita potestate ordinationem suam acceperunt, Itaque decernere se ut omnes sacerdotes sive regulares sint sive nō, captivi & liberi, sive remissionis beneficium sub sigillo regio habeāt sive non, tam qui ante suum adventum in Anglia fuerunt, quam qui postmodo advenerunt, regno suo excant, & captivi quidem primo quoque tempore navibus impositi dimittantur, cum expresso mandato nunquam sine permissione sua ad fines istos revertendi, sub pœna editis hoc nomine legibus definita, Reliqui vero sacerdotes, Iesuitæ & alii cuiuscunque Ordinis sunt, qui ordinationem & confirmationem suam ab aliena potestate habent, licet beneficio remissionis istius, (quæ quidem à legibus & iudiciis publicis neminem sacerdotum absolvit) gaudeant, ante 19. Martii diem ex Regnis suis omnibus discedant, addita hac manifesta interminatione, eos qui post dictam diem in quibuscunque Regni sui partibus inventi, aut postmodo unquam reversi fuerint, iudicio stare & pœnam legi-

legibus persolvere debere, sine ulla spe veniæ & remissionis consequendæ. Anno 1604. Mandat igitur omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Iudicibus & aliis iusticiæ ministris, ut termino isto elapso, quam diligentissime in omnes qui forte superfuerint, inquirant, & iudicio eos sistant.

Cæterum ne constitutio hæc speciem habere videatur alicuius rigoris adversus eos, qui per Iesuitas & sacerdotes istos in regno suo seducti, Catholicos se ipsi nominant, rationes huius suæ proscriptionis affert periculum, illud inprimis exaggerans, in quo non ipse tantum sed & uniuersum suum regnũ nuper fuerit, propter conspirationem, quæ ab isto quidem hominum genere primum exorta sit, itaque ut eiusmodi periculum caveri imposterum eo melius & vitari possit, aliter quidem sese facere non potuisse asserit, cum alia quidem ratione illud avertere nullo modo potuerit, siquidem Iesuitæ & Sacerdotes isti eius potestati se addi-

Anno 1604 addictos agnoscant, qui dispensare sese posse, in causa arctissimi, quod inter Regem & subditos existit, fœderis profiterur. Licet vero & Romano Episcopo, pro officiis & amore erga suam personam variis, tanquam mundano alicui principi addictum se esse lubens agnoscat, attamen cum statū sui regni perpendat, nullam sese spem concipere posse affirmat eius tranquille possidendi & conservandi, nisi unanimi principum consensu uniuersale aliquod & liberum cōcilium instituatur, quo eiusmodi quidem ex religionis prætextu erumpentes discordiarum radices & pestes extirpentur, notumq; fiat omnibus, eiusmodi potestatem in terra nullam esse quæ dispensare in regnis & imperiis, quoad obedientiam quidem subditorum qua Dominis suis obligantur, possit, cui quidem operi promovendo se paratissimum fore pollicetur, non tolum amore pacis cum Christianis principibus omnibus conservandæ, sed etiam, studio fœderis inter omnes principes mediante religionis unitate, con-

firman-

firmandi, cuius fructus quidem optatissimus sit, ut ad resistendum communi Christianorum hosti eo potentiores & fortiores efficiantur. Anno 1604.

Legati ad pacis tractationē destinati Pestam adveniūt

Cum Bassa Budensis, ut supra dictū est, Imperatorem Turcicum & sese omnes, pacis cupidos esse, palam professus esset, legati qui pacem cū eis tractarēt, Strigonio egressii, Agriam 13 Febr. venerunt, sequenti vero die ad Collonitsii castra, ubi à militibus expectabantur, progressi, cum equiratum in ripa Danubii præmisissent, ipsi navibus consecuti, inter multas tormentorū à Budensibus & nostris factas explosiones, ad Pestam tandem feliciter appulerūt, ubi ipsis navi vix egressis, aderant statim Turcarum quidam ex Buda primarii, eos quam humanissime & amicissime salutantes atque excipientes. Sequenti porro die, qui 15. Feb. erat, Budā aliqui qui proceres Turcicos ad cœnā invitarent, destinati sunt, parent statim Turcæ & 600. fere, eleganti vestitu ornati, traiecto Danubio Pestam veniūt, ubi parato interim splendidissimo con-

vivio,

Anno 1604. vivio, in remoto nonnihil à civitate loco, decem tentoria fixa, & in primo quidem tres menſæ ſtratæ erant. Ad harum igitur primam Legati Cæſaris, cum duobus Baſſis, & Muffti ſive Sacerdote Turcico, qui caput quidem tiara, corpus vero reliquum tunica oblonga pellicea, & veſte inſuper ſerica alia, ornatus erat, ad dextram, Begis vero & Agis ad ſiniſtram diſcumbebant, Ad reliquas duas primarii qui aderant Turcæ alii ſedebant, Reliqua tentoria ultra quadringẽtos fere Turcas ſedentes, habebant, quibus totidem fere Chriſtiani Turcis permixti ſtantes aderant. Cæterum Turcæ ante ſolis quidem occaſum cibum capere recuſantes, variis ad Sacerdotis ſui exhortationem, antequam dapes attrectarent, ceremoniis uſi ſunt, cumque ad nonam uſque veſpertinam cœnam illam produxiſſent, finita tandem ea, cum exultatione adhibitis tympanis & inſtrumentis muſicis aliis, traiecto Danubio Budam rurſus abierunt. Antequam autem diſcederent, ſigni-

significatum nostris est, Turcas Budenses magna copia, durante hoc congressu Pestam ex improviso occupatum advenisse, sed cum pudore tamen & damno reiectos, pedem retraxisse, scalis & rebus aliis post se relictis. Factum hoc legati, proceribus Turcicis, multis verbis exprobrarunt, verum illi ignorantiam prætendentes, ignaros se rerum istarum omnium esse sanctè affirmarunt, & nostros uti Budam sequẽti die venientes, sibi adessent, rogarunt, qui de periculo admoniti, inconsultum arbitrati sunt diutius ibi hærere, sicque collectis statim tentoriis, & rebus convasatis omnibus, Strigonium rursus profecti sunt, relicto interim Pestæ Geisbergio, cui in mandatis dederant, ut Bassam Budẽsem de cœpta tractatione admonens, quid sperandum esset experiretur.

Anno 1604. *Perfidia Turcarũ sub ipsa pacis tractatione detecta.*

Cæterum ex Vienna nunciatum postmodo est, Legatos adhuc semel in Agriensem sese recipere Insulam cõstituisse, ubi tractatio hæc finiẽda, & quid de pace utrinque sperari debeat definien-

Anno 1604. niendum sit. Contra vero aliis ex locis relatum est, Turcas erectis denuo & explicatis in propugnaculo, 6. vexillis, tormentorum omnium cum ingenti tubarum clangore disploſionem ſemel atque iterū feciſſe, catervatim ſeſe conſpiciendos præbentes, itaque quid tandem futurum ſit, Deo volente proximis nundinis autumnalibus lectori communicabitur.

Explicatio conflictus in insula Adonia.

Porro cum imagines quædam in æs inciſæ, huic libro acceſſerint, non potui quin earum explicationem tibi cōmunicarē. In delineatione igitur conflictus in inſula Adonia cum Turcis habiti, 1. nota caſtra Turcarum ultra Adoniā inſulā fixa, 2. Caſtra Chriſtianorū, 3. Locum ubi traiecto Danubio, in Inſulam Adoniā Turcæ delati ſunt, 4. initium pontis per Danubium traducendi, 5. Pontem Chriſtianorum, navibus per Danubium traductū, 6. Murathis Baſſæ equitatum, à noſtris primo in fugam verſum, 7. Friderici Comitis ab Hohenlo equites ſclopetarios, 8. peditatū Turcicum, cui magna pars rebellantium Aſia-

Asiaticorũ adfuere. 9 Comitis Sultzensis pedites germanos, 10. Serdarem Bassam cum equitatu suo, 11. Equitatum Christianorum, 12. Ianitsaros quorum maxima pars in fuga trucidati sunt, 13. Ferdinandi Collonitsii pedites, 14. Vinetum à Turcis præoccupatum, 15. Turcarum fugientium in Danubio suffocationem denotant. Anno 1604.

In delineatione autem obsidionis & expugnationis Hatuensis, A litera civitatẽ Hatuam, B. Arcem, C. Domum conservandis frumentis destinatam, D. Templum arcis, E. Turrim rotundam excubiis destinatam, F. Templũ urbis, G. Domũ Begæ, H. Fluvium Zagivã, I. Lacũ ex puteo & pluviis confluentẽ, K. Comitis Sultzensis & Strasoldii castra, L. Castra Ruswurmii, M. Munitiones, Ruswurmii iussu prope fossam urbis excitatas, N. Collonitsii castra, O. Altheimii castra, P. Interitum Strasoldii, denotant. *Explicatio expugnationis Hatuæ.*

In delineatione tandẽ Ostendæ cũ castellis & propugnaculis ad eã excitatis, A. quidẽ litera Reductum Beckaff. B. Reductum seu extremitatem Xenodochii. C. Pontẽ quo ex civitate ad Reducta hæcitur. D. Dimidiam lunã, q̃ Hispani beneficio parati nuper pontis occupare voluerunt, E. Portũ, quo naves in urbẽ transeũt. F. Ingressum naviũ, G. Propugnaculũ portæ Oriẽtali adversum H. Propugnaculũ Hispanicum. I. Propugnaculum *Explicatio propugnaculorũ in Ostenda.*

Anno 1604. Pecklium. K. Propugnaculũ mari obiectum L. Munimentũ portæ Burgensis, M. Munimentum novi portus. N. portum novum. O. Propugnaculum defensioni novi portus adhibitũ. P. Portã veterem. Q. delineationẽ portus septentrionalis. R. Vallum defendẽdæ à fluctibus marinis urbi obiectũ. S. Propugnaculũ quadrangulare. T. Partẽ Reductivel extremitatis Beckaff. V. Vallũ meridionale. W. Propugnaculũ meridionale. X Vallũ Polderense. Y. Vallũ occidentale. Z. Vallũ Helmontium. AA. ℔ppugnaculũ in tumulo arenario. BB. Orificiũ portus septentrionalis. CC. Molendinũ aquaticum, denotant.

Explicatio castrorũ Hispanicorum.

Cæterum ad castrorũ Hispanicorum delineationẽ numeris Arithmeticis expressam q̃ pertinet, 1. quidẽ ℔ppugnaculũ in parte occidentali, 2. Reductũ vel extremitatẽ Hispanicã. 3. Propugnaculũ minus. 4. Propugnacula novo & veteri portui. ℔ navigiorũ Hispanicorum defensione obiecta. 5. Aggerem novũ, cuius beneficio in oppidũ vetus Hispani penetrare volebant, ab ipsis postmodo rursus perruptũ 6 Propugnaculũ S. Martini. 7. Propugnaculũ S. Augustini. 8. Stationẽ Catricii. 9. Propugnaculum S. Francisci. 10. Propugnaculũ à Burgundiis occupatum. 11. Polderense propugnaculũ ab Archiduce occupatũ. 12. Propugnaculũ á Catricio occupatũ. 13. Propugnaculũ à Frezinio occupatũ. 14. Navim exustã. 15. Corbes terra oppletas

pro defendēda via. 16. delineationem ꝓpugnaculi novi. 17. Propugnaculum S. Caroli. 18. ſeptimentū aggeris. 19. ędificiū Ducis Bucquoii. 20. Aggerem ligneum 430. paſſus lōgū. 21. Pontem quo in aggerē pervenitur. 22. Propugnaculū in aggere firmatū. 23. Aggerē primū Geulam verſus excurrentē. 24. Delineationem ꝓ orificio Geulæ obſervādo. 25. Propugnaculū ꝙ vulgo Boteram, quaſi panē butyraceum dicas, vocāt. 26. ꝓpugnaculū S. Philippi. 27. Domū excubitoriā pro equitib. 28. Locū deponēdis lignis deſtinatū, 29. Propugnaculū maius Ducis Bucquoii, 30. Areā faſciculis lignorū deſtinatā denotāt Anno 1604.

Ad pontem porro, ꝓpugnaculorū inſultationibus deſtinatū, ꝙ attinet, eum ꝙ dē Hiſpani magnis ſumptibus nup paraverāt, dimidiā lunam eo expugnaturi, ut inde Portum Oſtendanis præcluderent. Conſtructus is eſt ex camelis ſive rudentibus & funibus naviū ſatis craſſis, longus paſſuū 60. latus vero 16. rotis inſiſtens quatuor, ex metallo fuſis quarū quælibet 300. ducatorū æſtimata eſt, diameter uniuscuiusq; 15. pedum erat, abſis vero rotæ latitudinē 6. pedū habebat. Malū velut in navi mediū habet ſuñæ proceritatis pōti attrahēdo & dirigēdo deſtinatū. Cęterū Oſtendani de novo hoc Hiſpan. invēto edocti, excitatis ante dimidiā iſtā lunā palis & lōgurīis admodū ꝓceris conatū ipſorum irri- *Explicatio novi pœtii.*

tum planè fecerũt. Cum. n. allatũ iam pontem dimissuri essent, extremitate eius longuriis inhærente, milites interim præsidiarii crebra tormentorum displosione rotam unam cõfregerunt, ita ut prodesse ipsis amplius non posset. Pontem hunc vltra 40. equi protaxerunt, qui tamen infra eum, quemadmodum milites post eum, à tormentorum & scloporum explosione aliquo modo tuti processerunt. Ostendani eum currum pigrum vocarunt.

INDEX RERVM QVÆ IN HOC libro continentur copiosissimus

A.

Altheimius à Turcis convivio excipitur 130

Amurathes Royſius infeliciter pugnat 60.

Anhaltinus princeps Hagam venit 93.

Archidux in castra Sylvamducis adveait 53.

Archidux à Sylvæducensibus in urbem recipitur 54.

Archiepiscopus & Elector Moguntinus moritur 123.

Assan Bassa omnia infesta reddit B 46

Balæna haud procul ab Antuerpia capitur 92.

Basta novum exercitum sibi transmitti petit 117.

Bosnana regio à seditiosorum Asiaticorum duce occupata 118.

Buda commeatu firmatur 40

Budiani milites Turcas cædunt C 104.

Castiliæ Gubernator Bruxellas venit. 128. seditiosos denuo proscribit 129.

Carolus Suetiæ Dux, amicitiam cum nobilibus contrahit 124.

Cæsar aliquot tormentis bellicis ab Electore Saxoniæ donatur 61.

Cæsari munera à Bassa Budensi mittuntur 131.

Cæsar articulos de pacificatione Embdensi non approbat 31.

Chamus Tartaricus reditũ in Tartariam meditatur 33.

Christianorum cum Turcis in insula Adonia conflictus 41.

Christianorum cum Turcis in insu-

insula Mohatsia cõflictus 35
Colonienses excubias reparant 92.
Collonitsius à Turcis semel atque iterum captus, evadit 37.
Comitia Ratisbonæ celebrata 16.
Confœderatorum milites Luzenburgensibus & Iuliacẽsibus infesti 90
Conflictus in insula Adonia explicatio 160.

D.

Daniæ Regis ad urbem Hamburgentem adventus 69.

E.

Electori Moguntiæ novus eligitur 143.
Electores Rhenani quatuor rei monetariæ corrigendæ student 62
Equestris ordinis insignia quibus cum ceremoniis Duci Wirtenbergico collata 81.
Equestris ordo in Anglia à quo & cur institutus 86
Erckla ab Hispanis occupatur 128. & à seditiosis, 144

F.

Fames in Buda ingens 34
Fons mirabilis prope Trevirim apertus 20
Fridericus Dux Wirtenbergicus insignia ordinis equestris accipit 79

G.

Galliæ Rex 30. pro singulis centenis, negotiatoribus Hispanis imponit 66
Galliæ Rex negotiationes Hispanicas prohibet 139
Gravia seditiosis à Mauritio traditur 58.
Gubernator novus Ostendam mittitur 94.

H.

Hatua à nostris oppugnatur 99 per deditionem à nostris occupata 101.
Hatuensis expugnationis explicatio 161
Heiducci Lippenses in finibus Turcicis prædã agunt 118.
Helvetiis ob religionem periculum creatur 123.
Hispaniæ Regis legatus ad Regem Angliæ venit 66.
Hispani propugnaculum ad Ostendam occupant 151
Hispanicorum castrorum ad Ostendam explicatio 163.
Hispani quidam per Mauricium suspensi 48.
Hispani Sylvamducis sibi subiicere conantur 49.
Hispani 30. pro singulis centenis à mercatorib. exigũt 19.
Hispani vectigal á nautis in Rheno navigantibus expetunt 31.
Hispani à Sylvæducensibus in urbem admissi 55.

I.

Jesuitæ in Claudiopolim à Georgio Basta introducuntur 44.
Iesuitæ cur ex Anglia proscripti 155.
Inducie inter Turcas & nostros 133.
Insula nova in America reperta 143.
Ioannes Zamoscius Cancellarius Poloniæ falsò mortuus perhibetur 138.

L.

Legatio Moscoviæ Ducis ad Regem Daniæ cur instituta 124.
Legati ad pacis tractationem destinati, Pestam veniunt 157.
Literæ Turcicæ ad Altheimiū de morte Sultani & pace faciendā scriptæ 136.
Literæ de iudicii in Cobhamiū & alios prolati, protractione & dilatione 101.
Lugatium Georgio Bastæ traditur 78.

M.

Malaspinius à seditiosis capitur 52.
Mariæ virginis effigies miraculis clara 97.
Mauricius obsidionem ad Sylvamducis solvit 56.
Milites quidam per seditionē solutionem impetrant 123.
Milites quidam ob petulantiā suam puniti 103.
Monetariæ rei correctio ab Electoribus suscipitur 62.
Mosis Zeccleri equus Cæsari offertur 43.
Motus novi in Moscovia 138.
Motus Embdanus quibus conditionibus compositus 24.

N.

Nadastius moritur 132.
Naves quædam Turcicæ à Persis diripiuntur 45.
Navis Lusitanica admodum dives ab Hollandis expugnata 131.
Navis quædam Belgica à Turcis superata 60.
Naufragium in Albi factū 115.
Negotiationes Hollandis in Hispania quomodo permissæ 18.
Obsidio ad Sylvamducis soluta 57.
Ostendanam Archidux obsidionem solvere recusat 96

P.

Perfidia Turcarum sub ipsa pacis tractatione detecta 159
Poloniæ Rex, Ordines in Suetiā ad fidelitatem hortatur. 124. legationem in Angliam & Daniam mittit 126.
Pomorum usus militibus à Georgio Basta interdictus 44.
Pontis novi ab Hispanis ad Osten-

stendam extructi explicatio 164.
Possegiorum regio à nostris vastata 42.
Proditio in Gravia detecta 51
Propugnacula duo ad pontem Lamascinorum à nostris occupata 75.
Propugnaculorum in Ostenda explicatio 162.

R.

Regis in Anglia mandatum de coniuratorum supplicio prolongando 113.
Responsum Regis Angliæ ad Archiducis petitionem 23.
Rex Angliæ in Scotiam proficiscitur 65.
Rex Angliæ Iesuitas & sacerdotes alios proscribit 151
Rex Galliæ civitates Belgio vicinas præsidio firmat 66.
Rex Daniæ & Holsatiæ Dux iuramentū fidelitatis ab Hamburgensibus accipiunt 69.
Rex Angliæ 30. pro centenis singulis ab Hispanis mercatoribus exigit 67.
Rusvvurmius exercitum in agros Budensium traducit 79.

S.

Sacrificuli quidam in Anglia ob conspirationem supplicio afficiuntur 105.
Sebusienses in ordinem redigu[n]tur 118
Seditiosorum in Transsylvania Dux novus 117.
Seditiosi in Hollandia solutionem plenariam urgent 128.
Seditiosorum Asiaticorum Dux in Hungariam venit 45
Seditio in Asia augetur 46.
Seditiosi in Westphaliam progrediuntur 147
Seditiosi hostiles literas Coloniam mittunt 145.
Seditiosorum in Westphalia conatus 150.
Seditiosi milites Limpurgensibus infesti 92
Seditiosi Erclam & Kerpam occupant 144.
Sigismundus Battorius ordinibus Bohemiæ adnumeratur 149.
Sodomiæ flagitium punitum 134.
Spinolæ frater cum imperio in castra Ostēdana mittitur 53.
Spinola de Ostenda brevi expugnanda spem cōcipit 95.
Strigonium novo commeatu firmatur 33.
Sultanus sacerdotes quosdam Mecham nudis pedibus ablegat 47.
Sultanus fortunam ubique experitur adversam 45.
Sultanus Imperator Turcicus moritur 136.

Sultzenſis Comitis cum Turcis conflictus 40.
Sylvæducenſes legatos ad Archiducem mittunt 126.
Sylvæducenſes Archiducem orant ut in caſtra deſcēdat 50.

T.

Tartarus ex Hungaria decedit 39.
Tartari ex Moldavia eiiciuntur 104.
Tauriſiū à Perſis cōcutitur 46
Tēpeſtas Viennæ ingens 134.
Tēpeſtas in Belgio magna 16.
Tempeſtas circa Hiſpalim magna 114.
Tempelius ad Sylvamducis globo percutitur 52.
Tormentarius ex Oſtenda ad Hiſpanos deficiens, ignitorum globorum inventum ipſis prodit 93.
Tormenta lignea in Flandria parata 96.
Tranſylvania variis latrociniis infeſtatur 105.
Tuticum à confœderatorum militibus premitur 91.
Turcæ à noſtris convivio excepti 157.
Turcæ in Valachia cæſi 133
Turcæ à Rege quodam Orientali cæſi 120.
Turcæ à noſtris variè cæſi 104
Turcæ ſeipſos oppugnant 118.
Turcæ paci cum noſtris tractā dæ ſtudent 129
Turcicus Imperator novus coronatur 148.
Turcarum aliquot captivorū relatio 77.

V.

Valonum in Turcas Haiducenſes ante ſeptem annos ſævitia 100.
Vdalricus Dux Megapolitanus quibus parentibus natus, 3. Eius res geſtæ, 4 Quot uxores habuerit, 13. filiam ſuam Regi Daniæ nuptum elocat, ib quot neptes neptesque habuerit, 14. ubi & quādo mortuus, 14.
Vetzier Baſſa à Chano Tartarico convivio excipitur 56
Vetzier Baſſa ſolutis caſtris decedit 97.
Vexilla quædam Turcica Viennam tranſmiſſa 116.

Z.

Zeffer Baſſa à ſeditioſorum Aſiaticorum duce profligatur 119
Zellalyus Boſnam occupat ibid.

FINIS.

A01 1424019